LIBER TRIGESIMVS SEXTVS PLATONIS EPISTOLARVM TREDECIM.

DIO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA I.

EGo dum apud vos diu multúmq; verſarer, & ita imperium veſtrum fideliter adminiſtrarem, vt inde præ cæteris vtilitatem perciperetis, graues calumnias ſuſtinui. Noui enim quòd me vobis ad ſtipulante crudele nihil omnino factum videbitur. Omnes autem qui in eadem gubernatione verſati ſunt, teſtes mihi eſſe poſſunt. Quorum ego permultos ſummo conatu à damnis non mediocribus liberaui. Imperio quinetiam apud vos fungens, ciuitatem veſtram ſępius cuſtodiui. Tandem verò ignominioſius à vobis expulſus ſum, quàm mendicum aliquem expelli conueniat, iuſſus à vobis abire, qui tam diuturnam operam veſtris ſum commodis impertitus. Igitur poſthac cogito degere vitam ſolitariam. Tu autem talis tyrannus gubernabis ſolus. Pecuniam verò illam egregiam abs te in viaticum miſſam, per Bacchium hunc vnà cum his literis ad te remitto. Neque enim ad viaticum ſufficit: neq; ad cæteram vitam ſatis eſt vtilis: tibíque danti dedecus illatura maximum, & mihi non multò minus accipienti. Itaque illam accipere nolui. Tua verò nihil intereſt, & dare & accipere tantundem: ſed illa recepta tuorum quépiam alterum honorabis, quemadmodum me honoraſti. Ego enim abs te ſatis iam ſum honoratus. Et mihi opportunum eſt nunc Euripidis illud dicere: te rebus quandoq; poſcentibus talem tibi virú aſſiſtere optaturum. Meminiſſe auté te volo, & alios tragicos plurimos, cum tyrannú aliquem pereuntem inducunt, huiuſmodi illi voces attribuere, Heu miſer, pereo nullis fultus amicis. Auri verò defectu pereútem aliquem nullus adhuc finxit poetarum. Illud quoque poeticum menté habentibus valde probatur. Non auri fulgor in miſera mortalium vita rariſſimi, non adamas, non argenteę méſæ quæ apud homines habentur in pretio, ita oculis coruſcant: neq; lati fundi, aut pinguia culta tantum valent ad vitam, quantum mens bonorum virorum inter ſe conſentientium. Vale: atque conſidera tantum erga nos erratum, quò erga cæteros rectius te geras.

PLATO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA II.

AVDIVI ex Archedemo te cenſere nó ſolú me, ſed familiares etiá meos præter vnicum Dioné nihil mali aduerſus te loqui debere vel agere. Hoc auté quod de Dione excipis, oſtendit me in familiares meos imperiú nó habere. Si enim haberé cú in alios, tú in Dioné ac te imperiú, tam vobis quam cæteris Gręcis bona, vt arbitror, plurima prouenirent. Nunc auté hoc duntaxat magnus ſum, quòd meipſum præſto rationi meæ obedienté. Quæ ideò dico, quia nihil ſynceri Cratiſtolus & Polyxenus ad te detulerunt. Quorú alterú dicere ferunt, audiſſe Olympiis multos eorú qui mecú erát obtrectátes tibi. Forſitá acutius quam ego, ille audit. Ego enim tale nihil audiui. Videtur auté mihi poſthac quoties huiuſcemodi aliquid ad te defertur, te ita facere oportere, vt ſcribas ad me, & rem ipſam perquiras. Ego enim verum fateri nec formidabo, nec erubeſcá. Mihi auté & tibi ita ſe res inuicé habet, vt neq; nos vlli (vt liberè dicá) Græcorum incogniti ſimus: neq; familiaritaté noſtrá huius ſeculi homines cóticeſcút: certú quoq; illud habeto, neq; poſteros tacituros. Tales ſunt qui eá norunt, vtpote neq; paruá, neq; obſcuram. Quorſum hæc? Statim aperiá, altius ré aliquantò exorſus. Naturæ quidem lege ſapientia potentiáq; excellens in idem tendunt. Semperq; iſta duo ſe inuicé affectát, perſequuntur, congrediútur. Deinde etiá iſtis homines admodú delectantur, quoties ſiue in carminibus poetarum, ſiue priuatis colloquiis huiuſmodi quædam referút, aut audiút: ceu cùm de Hierone & Pauſania Lacedæmonio loquuntur homines, gaudent Simonidis familiaritaté quæ cú illis fuit, commemorare: & quæ apud eos dixit, fecitq; referre. Similiter Periandrú Corinthiú, & Thaleté Mileſium vnà celebrare conſueuerunt, Periclé & Anaxagorá, Crœſum atq; Soloné, vt ſapientes: & Cyrú, vt potétem. Atqui hæc imitati poetę Chreóté & Tireſiam ſimul inducunt: Polyidumq; & Minoa: Agamemnonem & Neſtorem: Vlyſſem & Palamedem: atq; vt mihi videtur, eadem ratione priſci homines Ioui Prometheú coniunxerunt. Horú verò alios cóſentiétes, alios diſſentiétes inducunt: alios autem quandoq; concordes, quádoq; verò diſcordes. Eorúq; tá diſſenſiones q̃ cóſenſiones canút. Cuncta verò hæc ideò dixi, vt illud oſtenderé, quòd etiam cú mortui fuerimus, de nobis homines non ſilebút. Quocirca non eſt negligendú à nobis: ſed cura habéda téporis ſubſequentis. Fit enim natura quadá, vt ignauiſſimi homines nihil curent quæ ſi de ipſis futura opinio: probatiſſimi auté viri cuncta faciant, quò in futuris ſeculis bene inter homines audiát. Quam ego cóiecturá facio, eſſe aliqué ſenſum iis qui mortui ſunt, rerú quæ in vita geruntur. Quoniá optimi ſic fortè diuinant, deterrimi auté nequaquá. Validiora verò ſunt diuinorú virorú præſagia, q̃ aliorú. Puto auté, ſi liceret ſuperiorib. illis defunctis, de quibus loquor, ſuá conſuetudiné emendare, plurimá operá adhibituros, vt meliores de ſe quàm núc opinioné circunferrentur. Hoc nobis quidé etiá núc fauéte deo, facere licet: & ſi quid in ſuperiori familiaritate noſtra eſt peccatú, tam factis quá dictis emédare illud atq; corrigere. Equidé hoc dico, verá fore opinionem, (præſertim quantú ad philoſophiá attinet) de nobis vt ſi boni ſimus, boná: ſi mali, malá exiſtimationem habituri ſimꝰ. Atqui nos iſta curátes, nihil magis piú agere poſſemus: & negligentes, nihil æquè impiú & porphanú. Quéadmodú auté & hoc fieri cóueniat, ac iuſtè fieri poſſit, ego iá dicam. Quádo in Siciliam veni, fama erat me permultú inter eos qui tunc philoſophabantur, excellere. Cupiebam etiá cum Syracuſas veniſſem, opinionis illius teſtem te habere, vt etiam apud multitudiné in honore mihi philoſophia eſſet. Verú non ſatis proſperè mihi res illa ſucceſſit. Cauſam verò huius non illam fuiſſe dico, quá pleriq; exiſtimarét, ſed illá fuiſſe causá aſſero, quòd tu nó ſatis mihi credere viſus es, ſed me quodámodo dimittere velle, alios verò vocare, & quid mihi eſſet negotij inquirere, diffidens ſcilicet vt mihi videbatur. Et qui de iis loquebantur permulti erant: affirmátes q; me quidem contemneres, atq; ad alia animum intédiſſes. Hæc igitur túc fama increbuit. Quid aút poſt hæc fieri oporteat, iá audi, vt ad illud quod interrogaſti, reſpondeam, quo pacto nos inuicem

gerere debeamus. Si tu quidem omnino philoſophiam ſpernis, valere ſinamus. Si autem vel ab alio audiſti, vel ipſe per te inueniſti meliora quàm ea quæ à me traduntur, illa complectere. Quòd ſi noſtra tibi placent, nos quoque maximè honorare debes. Nunc autem, tanquam ab initio, tu præito, ego ſequar. Honoratus enim à te, te honorabo: non honoratus autem cóquieſcam, Præterea ſi tu honorare prius me cœperis, philoſophiam videberis honorare: ídque apud multitudinen quod tu in primis cupiebas, tibi gloriam pariet, tanquam ſapientiæ amatori. Si autem ego te honorauero me minimè honorátem, diuitias admirari videbor & ſequi: hoc verò quàm turpe ab omnibus cenſeatur, non ignoramus. Vt autem ſummatim dicam, te honorante, ambobus honor erit: me autem honorante, ambobus infamia. Et de his quidem ſatis. Orbiculus verò ipſe non rectè ſe habet. Narrabit verò ipſe tibi Archedemus, cùm ad te redierit. Illud auté pretioſius & diuinius, de quo per illum me interrogas, accuratè ipſi eſt oſtendendum. Ais enim, vt ille refert, non ſufficienter tibi à me de prima natura demonſtratú fuiſſe. Dicédú eſt igitur tibi núc per ænigmata quędam, vt ſi quid huic tabellæ vel mari vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non poſſit. Eſt autem ita. Circa omniú regem cuncta ſunt: ipſius gratia omnia: ipſe pulchrorú omniú cauſa: circa ſecundum ſecunda: tertia circa tertiú. Humanus animus affectat qualia illa ſint, intelligere: aſpiciés in ea quæ ſibi cognato ſunt. Quorum nihil ſufficienter ſe habet. Sed in rege ipſo, & in his quæ dixi, nihil eſt tale. Quod auté poſt hoc eſt, animus dicit. At enim qualis hæc tua interrogatio eſt Dionyſi & Doridis fili? Quæ malorum omnium cauſa eſt? Imò verò huius ſtimulus quidam animo noſtro ingenitus: Quem niſi quis eruat, veritatem certè nunquá aſſequetur, Tu hoc ad me in hortis cùm eſſemus ſub lauris, excogitauiſſe dixiſti: ac tuá fuiſſe inuétioné. Atq; ego inquá, ſi hoc ita ſe habere tibi videretur, multis me diſputationibus liberaſſes. Nec alium vnquá huius inuétorem reperiſſe: plurimámq. inueſtigationem meá circa id verſari. Verum tu forſan audito al quo diuina quadam ſorte eò progreſſus. Demonſtrationes autem eius rei vnquam firmas tenuiſti, ſed aliàs protuliſti aliter, quatenus phátaſia cóiectabas. Hoc autem nihil eſt tale, & hoc nó tibi ſoli cótingit. Sed certè ſcito neminé quádo primum me audit, aliter affici. Et alius quidé magis, alius verò minus defatigatus vix tandem à labore ceſſant. Omnes auté fermè laborant non parú. Hęc auté cùm ita ſint & fuerint, ferè inuenimus, vt opinor, quod tu per epiſtolam petiiſti: quéadmodum oportet inuicem nos habere. Poſtquá verò hæc & per ſe diſcuſſeris, & cum aliorum opinionibus cóparauerit, modò rectú examem peregrinis, cóſentienté nobis te & noſtris prębebis. Quóná igitur pacto non hęc, & alia quæ diximus, contingét? Rectè tu quidé ea de cauſa Archedemú ad nos miſiſti. Ac poſtquá ad te reuerſus ſententiam tibi meá retulerit, dubitationes aliæ te forſitan capient, tu verò ſi rectè tibi cóſules, mittes iterú ad me Archedemum, ille rurſus quaſi mercator, nó ſine lucro redibit: quòd ſi bis aut ter feceris, atq. illa quæ mittimus, diligenter examinaueris, mirabor equidem ſi non multò melius q̃ nunc ad ea quę dubitas, te habeas. Audacter igitur id agatis. Neque enim vel tu, vel Archedemus negotiatione vllá ſuſcipere poteſt, quę aut honeſtior ſit, aut deo acceptior, Caue tamen ne accidant hæc vnquá in aures hominum diſciplinæ eruditioniſq; expertiú. Nulla ſunt enim, vt mea fert opinio, quę dicta ad populú magis ridicula, videantur: neq; quæ apud ingenioſos prolata, magis mirabilia & diuina. Sæpe verò dicta ſempérq; audita & multis annis, vix tandem velut aurú cum magno labore purificantur. Nam quod in hac re mirabile cótingere couſueuit, id audi. Sunt complures homines qui iſta iam audierunt: pollentes docilitate, pollentes memoria, in examinando & iudicando ſolertes, prouecti iam ætate, neq; minus triginta annis hæc audierunt. Hi tamen affirmant quæ auditu quondam incredibilia maximè videbantur, ea ſibi nunc primum valde credibilia videri atq; perſpicua: & quæ tunc probabiliſſima, ea nunc ſibi contrà videri. Hæc igitur intuens, caue ne quádo te pœniteat eorú quæ tibi indignè ac temerè núc exciderint. Maxima verò huius rei cuſtodia eſt, nihil ſcribere, ſed addiſcere. Ná quæ ſcribuntur, cótineri non poſſunt: hac de cauſa nihil ego de iis ſcripſi vnquam neq; eſt Platonis opus præſcriptum aliquod, neque erit. Quæ autem modò dicuntur, Socratis ſunt: qui vir etiam dum iuuenis eſſet, virtute claruit. Vale: & nobis crede. Atq; hanc epiſtolam, cùm ſæpius eam legeris, ſtatim cóbure. Et de his quidem ſatis. Miraris auté quòd ad te Polixenum nó mittam. Ego autem de Lycophronte etiam & reliquis qui apud te ſunt, idem qnod iamdudú & núc prorſus affirmo: te ſcilicet iſtis tum ingenio, tú differendi arte præſtare quàm plurimú: nec illorum quéquam ſponte tibi in diſputando, vt aliqui ſuſpicátur, cedere, ſed inuitos. Atqui videris admodum humaniter illis fuiſſe vſus, & honeſtis eos muneribus ꝓſecutus. Sed de iis quidé perinde atq; de talibus talia multa licet dicere. Philiſtione ſi vti contigerit, vtere quàm maximè. Et ſi fieri poteſt, Speuſippi vtere opera, atq; remittas. Eget quidem tui & Speuſippus. Pollicitus auté mihi eſt Philiſtio, ſi abs te dimittatur, ſe Athenas è veſtigio petiturú. Illum ex Latomiis dimiſiſſe, laudabile fuerit. Leuis auté petitio tam de illius neceſſariis, q̃ de Egeſippo Ariſtonis filio. Ná & ad me ſcripſiſti: ſi quis huic vel illis iniuriam velit inferre, ac tu id perſenſeris, te minimè permiſſurum. De Lyſiclide præterea vera fateri decet. Nempe ſolus iſte ex iis qui Sicilia Athenas profecti ſunt, nihil in tua meáq; cóſuetudine immutauit. Sed ea quæ facta ſunt, quotidie verbis pro viribis magis honeſtat.

EIDEM. EPISTOLA III.

PEtis an rectius ponatur in ſalutationibus, Plato Dionyſio gaudere: an quéadmodum ego ſolitus ſum ſcribere ad amicos, bene agere. Tu quidé, vt aiút hi qui tecú in Delphinis affuerút, ita Deú ipſum blandè appellaſti, ac ſimiliter ſcripſiſti: Gaude, vitámq; tyranni iucundam ſerua. Ego auté neq; Deum hoc modo neq; hominem ſalutarim. Nó Deú: quia contra illius naturá loquar. Nam procul à moleſtia & voluptate diuinitas non hominé: quia ſæpius detrimentum & doloré ipſi affert voluptas, hebetudiné in animo & obliuioné. inſipientiá & petulantiá pariens. Et de ſalutatione quidem hæc mihi dicta ſint. Quæ tu poſtquam legeris, ſicuti voles ita capies. Ferunt verò nó pauci te dicere ſolitú ad legatos quoſdam, quòd aliquando dicentem te audiuerim, in animo habuiſſe Græcas ciuitates in Sicilia reſtituere: & Syriacuſa-

nos alleuare, ac pro tyrannide regiá gubernationem illis inducere. Audienté verò hæc me tibi ne faceres illa obſtitiſſe, cum tu vehementer id cuperes. Nunc autem illa ipſa vt facias, Dioné docere: ac tuis propriis inuentis atq; artibus imperiú à nobis tuú labefactari. Vtrú ſermones huiuſmodi aliquá tibi vtilitatem ferant, tu ipſe cognoſcis: iniuria certè me afficis cùm contraria dicas quam veritas ſit. Et profectò ſatis ſupérq; hactenus à Philiſtide, & aliis compluribus inuidia mihi conflata eſt & apud milites & apud Syracuſanos. Nam cú in arce vnà tecum habitaré, omnia malefacta in me conuertebantur, aſſerétibus qui extrà erant, te ſingula meo cõſilio facere. Cú apertè ſcias perpauca me tecú de gubernatione ciuili ſpóte mea, atq; id ab initio tractauiſſe, dú aliquid poſſe me proficere arbitrarer, & alia quædam exigua legú proœmia mediocriter & modeſtè curanté. Quibus tamen poſtea vel te, vel aliú audio quædá præter mété meá inſeruiſſe. Quę facilè internoſcét ij qui poſſunt morem ingenij noſtri diſcernere. Sed vt modò dicebá, non egeo calumnia & apud Syracuſanos, & apud alios, quibus me iſta dicens criminaris: ſed multò magis purgationé contra primá calúniá, & contra nouá nuper exortá, maioré quidé ac vehementioré. Ergo aduerſus duas calúnias neceſſe eſt excuſationé me duplicé afferre. Primú quidé meritò noluiſſe me de gubernatione reipublicæ tecú agere: deinde meum illud conſilium nó fuiſſe quod tu ais, vt ſuaderem tibi ne ciuitates Græcas reſtitueres. Et primum quidé de primo ſic accipe. Veni Syracuſas à te vocatus & à Dione: quú eſſet ipſe Dio magnę apud te dignitatis, mihi iampridem hoſpes, ætate verò media atq; perfecta: quibus omnino vel mediocriter prudens, opus eſſe ad res huiuſmodi gerédas quales tuæ erant, exiſtimarit. Tu verò eras admodú iuuenis: & omniú quorum oportebat te peritiá habere ignarus mihi quoq; valdè ignotus. Poſt hæc, ſiue quis homo, ſiue Deus, ſiue fortuna quędam tecú, Dionem pepulit. Tu ſolus relictus es. An igitur communioné mihi aliquam tecú rerum ciuilium tunc relictam putas: cùm viderem prudenté quidé conſultoré abs te pulſum: te autem imprudenté cum multis flagitioſis ita fuiſſe relictú, vt nó imperares, licet imperare arbitrareris, ſed huiuſmodi hominib⁹ reuera ſeruires? Túc ergo quid oportebat me facere? An non id quod faciebam? Abſtinere videlicet omni gubernatione, ne inuidia maleuolorum in calumnias vocarer. Et illud omnino conari, vt vos inuicem diſſidentes, & longè diuiſos in priſtiná amicitiam gratiámq; reducerem. Tu mihi teſtis eſſe potes quanto conatu hoc à me negotiú ſuſceptú fuerit, neq; vnquam deſertú. Tandem vix ita conuenimus, vt domú (quoniá bello impediti eratis) remearé, pacéq; facta, ego & Dio Syracuſas rediremus: tu autem nos aduocares. Hæc ſunt acta in prima illa profectione ad te mea, & in patriam reditu. Facta deinde pace iterú me vocaſti: nó tamen vt inuicem cõueneramus vnà cú Dione, ſed ſolum. Scripſiſti enim vt ipſe túc veniré: Dioné verò poſtea te vocaturú. Ea de cauſa ego tunc non veni: quod quidé Dioni diſplicuit, qui pręſtare putabat vt parerem tibi atque veniré. Tranſacto poſt hæc anno triremis vnà à te miſſa eſt: & ſimul cú illa literæ tuæ. Quarú caput erat: ſi veniré Dionis res ita fore, vt ego maximè optabam, contrà verò, ſi non veniré, Pudet referre quam multæ tunc epiſtolæ ſcriptæ ſunt tam abs te quam ab aliis tua cauſa, ex Italia atque Sicilia ad me & ad multos propinquorum familiariúmque meorú: quæ omnes exhortabantur, precabátúrque vt tibi obſecutus accederem. Viſum eſt igitur omnibus, & in primis Dioni, eundú eſſe neq; me molli otio dedendú, quáquá ego ob ætaté me excuſabam: & de te aſſeuerabá, q; nequires obtrectatoribus maleuoliſq; meis diſſidiú inter nos quærétibus reſiſtere. Conſpexerá enim iam pridem, & núc etiam perſpicio opes tam priuatorú quàm principum, quátò maiores ſunt, tantò magis inſidiatores, & turpium noxiarumq; voluptatú machinatores nutrire, quo nihil pernicioſius gignit opulétia atq; poteſtas. Veruntamen omiſſis his omnibus, venire decreui, ne querelæ materiá alicui familiarú meorú relinquerem, quòd cú poſſent eius res ſaluæ eſſe, ob negligétiam meá periſſent. Quæ verò poſt aduentú meum ſecuta ſint, tu optimè noſti. Cenſebam equidé vt ſecúdum promiſſa epiſtolarú tuarum quàm primùm Dioné reuocares: & in priſtiná familiaritaté reciperes, cuius ego rationé habédam eſſe putabá. In quo ſi mihi paruiſſes, fortè melius tutæ & Syracuſanorú cæterorumq; Græcorú res, vt mea vaticinatur opinio, ſeſe haberent. Arbitrabar deinde bona Dionis ſuis reſtitui debere: nec illis diuiſorib. quos tu præfeceras, eorú adminiſtrationé amplius relinqui. Iudicabam præterea pecuniá ſingulis annis Dioni ſolitam mitti, eſſe mittendá, non diminutá ob pręſentiam meá, ſed magis adauctá: cùm autem horú nihil abs te impetrare poſſem, abire cõſtitui. Tu verò annum me vt expectarem, rogaſti: affirmás te Dionis bona omnia redditurú, ita vt media pars Corinthú ad Dionem ipſum mitteretur: reliqua verò pro eius filio Syracuſis maneret. Multa præterea referre poſſum, quæ promiſſa à te ſeruata non ſunt. Sed ea ob multitudiné omitto. Cùm enim bonorum Dionis omnium véditioné faceres, abſq; vllo eius cõſenſu: quanquá ita demú hoc faciendú dixeras, ſi ille aſſentiretur. promiſſis omnibus, ô vir mirabilis, Colophonem, vt aiunt, glorioſiſſimum impoſuiſti. Rem profectò neq; honeſtam, neq; honorificam, neque iuſtam, neque vtilem machinatus, me deterrere conatus es tanquam rerum illarum neſcium, quò ego pecunias ad Dionem mittendas poſtulare deſiſterem. Nam cùm Heraclidem pelleres, quod neq; Syracuſanis, neq; mihi iuſtú videbatur: egóq; vnà cú Theodote & Eurybio pro Heraclide deprecarer, accepta hinc quaſi ſufficiéti quadá occaſione, iampridem te depræhédiſſe dixiſti, nullá mihi curá eſſe rerum tuarú, ſed Dionis ſolùm, eiuſq; amicorum & propinquorú. Itaq; cùm Heraclides & Theodotes Dionis amici ſuſpicione criminis non carerent, me omnia facere quò meritas pœnas non darent. Hæc quidé in noſtra illa ciuilis adminiſtrationis cõmunione, & quamcunq; aliá diſſenſioné nobis accidiſſe quid mirum? Prauus enim à prudentibus viris meritò exiſtimari poſſem, ſi potentiæ tuæ magnitudine adductus, veteré amicum & hoſpitem meú à te patria pulſum, nulla re, vt ita loquar, te deteriorem prodidiſſem atq; deſtituiſſem: te verò iniuriantem illi ſecutus eſſem: & omnia feciſſem quæ imperares tuarum ſcilicet opum gratia. Certè ſi illum tui gratia prodidiſſem, nemo aliam mutationis meæ cauſam fuiſſe dixiſſet. Hęc igitur ita geſta, cauſa fuerunt ſuccenſendi inter nos: & nihil communicandi. Verùm mihi opportunè iam ſermo in eá tranſit parté, de qua ſecúdo mihi loco dicédum propoſui. Attende obſecro diligenter, ſi verú tibi dicere videor. Dico te Archedemo præſente & Ariſtocrito cú eſſes in

in hortis viginti fermè dies ante receſſum meum è Syracuſis Athenas, dixiſſe mihi illa quæ nunc etiam dicis: quòd Heraclidis & aliorum omnium magis quàm tui curá haberem. Præterea me in præſentia illorum rogaſti, an meminiſſem cùm primò Syracuſas veni, ſuaſiſſe me tibi ciuitates Græcas reſtituere. Egóq; conceſſi meminiſſe me: & addidi etiam tunc optimum mihi videri. Fatendú eſt, ó Dionyſi, quod ſubinde dictum eſt. petij equidem vtrum id ſolú tibi conſuluiſſem: an aliud præterea. Ad hæc tu iracundè nimium, &, vt putabas, contumelioſè reſpódiſti. Itaq; cõtumelia tunc in me id ſunt, nunc auté pro ſomnio eſt. Rogaſti auté me apertè nimium, ſi bene quid memini, me deridés, an iſta præcepiſſem tibi quaſi docto, an non. Reſpondi, te id optimè meminiſſe. At ipſe ad hæc adiecisti. Vt docto in geometria, an quomodo? Tunc ego quod reſpondere poteram, reticui: veritus, ne verbi alicuius exigui cauſa nauigatio illa à me expectata, mihi pro lata anguſta fierit. Cæterùm ad illud iam redeamus, quo tendunt hæc omnia. Noli inuidiam cõflare mihi dicés te prohibitum fuiſſe à me ciuitates Græcas dirutas à Barbaris, reſtituere: ac Syracuſanis gubernationem pro tyrannica regiam mutare. Nihil enim de me potes mentiri, quod à meis ſit moribus alienius. Atqui ſi foret alicubi ſufficiens huius rei iudicium, etiá alia dicerem ſuperioribus clariora: probarémq; manifeſtè me ſuaſiſſe tibi vt illa faceres: te autem recuſauiſſe. Nequaquam difficile eſt oſtendere illa futura fuiſſe optima & tibi, & Syracuſanis, & Siculis omnibus. Si ergo negas te iſta dixiſſe cùm dixeris, ſatis equidem habeo quo te criminer. Quòd ſi fateris, Steſichorum ſapientem puta, atque eius palinodiam, id eſt cantum ſuperiori contrarium imitatus, ex mendaci ſermone te ad verum traducas.

PLATO DIONI SYRACVSANO, BENE AGERE.

EPISTOLA IIII.

PVto manifeſtam eſſe per omne tempus propenſiſſimá voluntatem meam circa ſingula quæ contigerint: neq; occultum eſſe vobis, ſtudiú conficiédi fuiſſe mihi non aliam magis ob cauſam, quàm vt in rebus honeſtis honorem conſequerer. Céſeo enim eſſe iuſtú, vt qui reuera boni ſunt viri, & talia faciunt, dignam gloriá conſequátur. Ac res quidé vſq; adhuc, Dei beneficio, rectè ſe habét. De futuris verò maximú vobis propoſitú eſt certamé. Nam fortitudine quidé, celeritate, ac robore præſtare tale eſt, vt aliorú quoque eſſe poſſit: ſed veritate, iuſtitia, magnificentia, & huiuſmodi quadá honeſtate & dignitate pręcellere ad eos qui iſta gerunt, & taliú ſibi gloriá vendicant, prę cæteris attinet. Manifeſtum ſanè eſt quod dico. Meminiſſe autem debemus oportere nos, vt te non latet, plus aliis quàm pueris antecellere, Itaque conſtare omnibus debet, tales nos eſſe quales videri volumus: præſertim cùm deo iuuante perfacile ſit futurum. Cæteris ſiquidé hoc contigit, vt multa loca obire cõpulſi fuerint ad id conſequendú: rerú verò tuarú ſtatus huiuſmodi eſt, vt ex vniuerſo, vt ita dixerim, terrarú orbe vnum in locum, & in illo ipſo in te vnum maximè oculi omniú ſint cõuerſi. Tanquá igitur ſubiectus oculis ſpectatúſq; ab omnibus, conare Lycurgú illum antiquú exprimere, & Cyrú: & ſiquis alius videatur vnquam moribus & publicis inſtitutis excelluiſſe: præſertim quum ſit multorum ac penè omniú veſtrorum opinio, poſt Dionyſium ſublatú res eſſe perituras, propter tuá & Heraclidis & Theodoti cæterorúmq; nobiliú ambitioné & excellendi cupiditaté. Primú quidem optandú eſt, nequiſquam talis exiſtat. quòd ſiquis apparuerit talis; tu medebere vt res in melius deducantur. Ridiculú tibi fortè videtur me iſta monere, cùm tibi ſint nota. Sed ego in theatris conſpicio, certatores à pueris prouocari: nedum ab amicis, qui beneuolentiæ ſtudio cohortari putatur. Vos certè nunc tanquam in theatro quodá certatis. In quo ſi noſtra opera opus eſt, certiores nos facite. Hic autem perinde ſe res há bent, vt cùm vos adeſtatis. Scribite mihi quid actum ſit, quidue agatur. Ná licet audiamus multa, certi nihil habemus. Multæ à Theodoto & Heraclide ferútur epiſtolæ Lacedæmona & Æginá. Nos autem, vt dixi, audientes multa de rebus veſtris, nihil apertè percipimus. Nec te lateat eá eſſe de te apud quoſdá opinionem, quaſi de homine aliquátò minus quàm decet, officioſo atq; affabili. Meméto igitur neceſſariam eſſe ad res gerendas hominú beneuolentiá: auſteritas verò ſolitudinem amicorú parit. Felix eſto.

DIO PERDICCÆ BENE AGERE.

EPISTOLA. V.

EVphreo ſuaſi queádmodú ad me ſcripſiſti, vt in rerum tuarú adminiſtratione perſeueraret. Eſt autem meú tibi quoq; & de aliis rebus, hoſpitale & ſacrum (vt appellatur) conſilium dare: & quemadmodum Euphreo vti debeas. Profectò vir ille ad multa vtilis eſſe poteſt. Maximè verò ad id, cuius tu plurimùm indiges ob ætatem: præſertim cú haud multi reperiétur, qui de his rebus conſilium iuuenibus commodè afferre poſſint. Eſt enim vox quædá vniuſcuiuſq; ciuilis gubernationis, velut animalium quorundá. Ná aliam popularis aliá paucorú, aliá vnius gubernatio vocé emittit. Has intelligere multi profitentur: ſed longè abſunt ab intelligédo, præter admodum paucos. Quæ igitur gubernatio propriá vocé erga deos & erga homines emittit, conſentaneáſq; voci actiones reddit, ea viret ſemper atq; ſeruatur. quòd ſi vocem alterius imittatur, imperitú recipit. Ad hęc Euphreus tibi perutilis eſſe poterit: quamuis & ad aliá vir fortis ſit. Rationes enim monarchiæ, id eſt principatus vnius, non minus quá eos quid apud te ſunt eum inuenturú eſſe ſpero. Ad hæc igitur illo fretus, vtilitatem ex eo percipies, & referes ipſi tu deinde quàm plurimam. Quòd ſiquis hęc audiens obiiciat: Plato quidé profitetur quæ ad populaté ſtatum cõferant intelligere: nunquàm tamé licet occaſio data fuerit, in ciuitate ſua ſurrexit ad conſiliú populo exhibendum: ad hęc reſpódebitur. Platoné ſerò tandé fuiſſe in patria, populúq; offendiſſe iá ſenectute deſipiété, aſſuefactúq; per illos q ante ſe fuerant, multa diuerſa facere à cõſilio ſuo. Ná libétiſſimè vt paréti illi cõſuluiſſet, niſi fruſtrà ſeipſum periculo ſubiecturú exiſtimaſſet. Idé quoq; circa conſiliú mihi futurú exiſtimo. Si enim inſanabiles videremur, te dimiſſa, omni de me meiſque conſilio abſtineret. Eſto felix.

PLATO HERMIÆ, ERASTO, ET CORISCO BENE AGERE.

EPISTOPLA VI.

MIhi quiden videtur deorú aliquis fortunam vobis optimam, modò rectè eá recipiatis, benignè abúdéq; paraſſe Quippe finitimi eſtis, & vtilitaté vobis mutuá conferre valetis maximam: Hermiæ ſiquidem neq; multitudo equorum, neq; alius belli apparatus, neq;

auri magnitudo vſque adeò vires augeret, quãtum amicorũ bonorũ conſtãtia atq; fidelitas. Eraſto autem & Coriſco præter ſapientiã iſtam de ſpeciebus pulcherrimam, alia inſuper affirmo, & ſi ſum ſenex, opus eſſe ſapientia ad improbos iniuſtóſq; cauendum, & ad reſiſtendũ potentia. Sunt enim inexperti fraudũ: quia penes nos cum hominibus viuere diu conſueti ſunt minimè malis. Quapropter illos huiuſmodi quadã indigere dico cautione, ne cõpellãtur verã negligere ſapientiã, & humanã hãc neceſſariámq; ſapientiã, plus quàm deceat, meditari. Rurſus verò eã ipſam vim mihi videtur Hermias in primis natura vſq; & arte conſecutus. Quid igitur dico? Equidẽ Eraſti & Coriſci mores ingeniáq; expertus magis quàm tu cõfirmo tibi, ô Hermia, denũcio, teſtor, non facilè magis fidos homines iſtis finitimis eſſe te reperturum. Tibi itaq; conſulo, vt quoad fieri poteſt ac licet, omni ſtudio hos viros complectaris. Vobis quoq;, ô Eraſte, & Coriſce conſulo, vt Hermiam viciſſim ſuſcipiatis, certantes mutuo amore & beneficio, vno maximè amicitiæ nodo vinciri. At ſiquis veſtrûm coniunctionem iſtam diſſoluere videatur, nam humana quidẽ mobilia ſunt, huc ad me meóſq; mittite accuſatoriã in delinquentẽ epiſtolam. Puto enim iuſtitia & pudore refertos, qui à nobis proficiſcuntur ſermones, niſi quid magnum ſubſit, magis, vt dicitur, omni incantatione vos in priſtinã amicitiam & communionem copulaturos. Ita ſi philoſophemur omnes, vtriq; quantum valebimus, & noſtrum cuique concedetur, rata hæc modò edita oracula ſeruabuntur. Quòd ſi iſta negligamus, nihil equidẽ præfabor. Omen nanq; bonũ vobis prędico, atq; vaticinor, hæc bona omnia nos ita demũ eſſe facturos, ſi deus voluerit. Hanc verò epiſtolam à vobis tribus ſimul legendã cenſeo: aut ſaltem duobus vnà legentibus, & ſæpe etiã repetentibus. Vtendúmque vobis pacto & lege certa: etiam iureiurando vt æquum eſt interpoſito, non ſine eleganti ſtudio atq; huius ſtudij ſorore diſciplina, teſtando deum rerũ omnium ducẽ pręſentiũ & futurarum, ac ducis & cauſæ patrem dominũ. Quem ſi verè philoſophemur, cognoſcemus apertè omnes, quatenus felicis hominis natura pertingere poteſt.

PLATO DIONIS PROPINQVIS ET AMICIS BENE AGERE.

EPISTOLA VII.

SCripſiſtis mihi cenſere vos eandẽ mẽtẽ in republica eſſe vobis cõſeruandã, quã Dio habuiſſet: méq; rogatis in cõmunionem accedere quantũ verbo factóq; virium habeã. Ego autem ſi eam voluntatem opinionéq; quã ille habuit, habetis, aſſentior vobis & in communionem accedo. Si nõ habetis, de ea re conſultandũ etiam atq; etiam dico. Quę verò fuerit illius mens atq; volũtas, non vt coniectans, ſed tanquam ſciens referre poſſum. Quãdo ego primũ Syracuſas profectus ſum, annos circiter quadraginta ætatis agens, Dio in ea erat ætate, qua nũc Hipparinus: & in ea quã tunc cõpræhenderat opinione ſemper perſeuerauerit, Syracuſanos putans eſſe liberos oportere, atq; optimis legibus gubernari. Itaq; nõ ſit mirandũ, ſiquis deorũ huhc in eadẽ opinione reipublicæ gubernandæ ipſi cõſentientẽ præſtitiſſet. Qua verò ratione id fuerit faciendũ, digna res eſt, quæ & ſeni & iuueni audiatur. Conabor autẽ, quoniã præſens tempus id poſſit, rem omnem à principio vobis referre. Equidem adoleſcens dum eſſem eandẽ quã pleriq. habui cupiditatẽ. Statuerã enim cùm primũ mei ipſius cõpos factus eſſem, ad rẽpublicã me conferre. Interim talia quędã circa rẽpublicã cõtigerũt. Nã cùm is qui tũ erat, reipublicæ ſtatus à multis improbaretur, ſecuta mutatio eſt. Tunc vnus & quinquaginta viri gubernatiõe ſuſcepta, vndecim in vrbe, decẽ verò in piręo forenſium vrbanarúmq; rerũ adminiſtrationẽ habebant ſed penes triginta viros ſumma erat omniũ autoritas conſtituta. Horũ nonnulli domeſtici & noti erãt mihi; qui me ſtatim ad remppublicã capeſſendã inuitauerũt. Atq; ego nihil mirabile ſum ob iuuentutẽ perpeſſus. Quippe exiſtimabã illos ab iniuſta vita ciuitatem ad iuſtos mores debere cõuertere. Itaq. diligẽter in dies quid facerent, obſeruabã. Verũ animaduerti eos breui admodũ tẽpore ita ſe gerere, vt prior ille reipub. ſtatus fuiſſe aureus putaretur. Nã & alia multa iniuſtè fecerũt: & amicũ meũ ſeniorẽ Socratẽ, quem ego iuſtiſſimũ omniũ qui tũc erant, appellare non vereor, vnà cũ aliis quibuſdã ad adducẽdum ciuiũ quendã ad ſe miſerũt, vt vltimo ſupplicio afficeretur: Socratémq; ipſum vel ſpõte vel inuitũ quaſi participẽ ſibi coniungerent. qui tamẽ parere noluit ac potius cũcta pati grauiſſima conſtituit, quàm impiorũ ſcelerum illis ſocius exiſtere. Hæc igitur cùm viderem, & alia quædam nõ parua, grauiter tuli, & ab illis malis me recepi. Nec multò pòſt ſecuta horum triginta euerſio eſt: totáq; reſpublica mutata. Rurſus igitur quanq̃ moderatius, cupiebã tamen adire rẽpublicã. Sed agebantur tunc etiã, vtpote turbata republica, quæ improbares permulta. Nec ſanè mirũ fuerit in huiuſmodi mutationibus inimicos quoſdã pœnas dare grauiores, quãq̃ qui redierant, magna vterẽtur clemẽtia. Iterũ ſorte quadã accidit, vt Socratẽ hunc amicũ noſtrũ potẽtes in republica quidã accuſarẽt, impiũ crimẽ obiiciẽtes, ac minimè omniũ ipſi conueniẽs. quaſi enim nõ rectè de diis ſẽtiret, alij quidẽ in iudiciũ traxerũt: alij ſententiã in eũ dixerũt, condemnauerúntq;: & eum hominẽ necauere, qui ſuperiori tẽpore quò nihil impiè faceret, vnũ ex ipſis tũc exulantẽ ducere, atq; rei impię nullo modo particeps fieri ſuſtinuerat. Cũ hæc igitur animaduerterem, & homines q̃ in reipublicæ gubernatione verſabantur, legéſq; & mores, quãto magis cõſiderarẽ, quantóq; magis ætate progrederer, tanto difficilius arbitrabar eſſe rectè rẽp. gubernare. Neq; enim hoc fieri poteſt abſq; amicis ſociiſq; fidelibus. Quos tũ reperire haud facile erat. non enim amplius patriis moribus inſtitutiſq; ciuitas noſtra gubernabatur: & parare nouos impoſſibile erat ſine ſumma difficultate, vtpote ſimul legibꝰ moribúſq; penitus corruptis. Itaq; ego ille qui primus exarſerã incredibili cupiditate me ad rẽpublicã conferendi, intuens cũcta in præceps deferri, tandẽ quò me verterẽ, neſciebã. Et ab inueſtigatione quidem nequaquam deſiſtere placuit: ſi quid fortè melius eueniret & circa hęc ipſa & vniuerſam rẽpublicã: agẽdi verò opportunitatẽ aliquam expectare. Tandẽ verò compertũ eſt mihi, reſpublicas omnes quæ nunc ſunt, improbè gubernari. Nã quantũ ad leges attinet, inſanabiles fermè ſunt, nullo inſtituto egregio, ſed fortuna quadã viuẽtes. Quapropter dicere adductus ſum, laudans rectam philoſophiã, quid iuſtũ ſit & quid non, tã in republica q̃ in priuata per eam dũtaxat diſcerni. Itaq; non prius deſinere humanũ genus in malis verſari, q̃ aut homines rectè veréq; philoſophãtes rerũpub. guber-

gubernationẽ adepti fuerint: aut hi qui gubernant, diuina quadam ſorte verè philoſophentur. Hac ego mente Italiam Siciliámq; adiui, hęc fuit prima in ea loca profectio mea.

Cicero. verba ex Tuſcu. 5.

Quò cùm veniſſem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarũ, Syracuſanarũque menſarum, nullo modo mihi placuit, bis id die ſaturum fieri, nec vnquam pernoctare ſolum, cæteráque, committantur huic vitę. Nemo enim omnium qui ſub cælo ſunt, ſi in huiuſmodi moribus ab adoleſcentia nutriatur, quamuis natura & ingenio excellenti præditus, vnquam tamen prudens euadet. Temperatus eſſe certè nunquam curabit. Eadémque erit de cæteris virtutibus ratio. Ciuitas autem nulla legibus acquieſcere poterit, ſi cũcta in ſuperfluos ſumptus eroganda ciues exiſtiment: cæteríſque poſt habitis omnibus, cõuiuiis duntaxat & venereis oblectamentis obnixè putent operam impẽdendam. Neceſſe eſt huiuſmodi ciuitates modò in tyrannidem, modò in paucorum potentiam, modò in popularem ſtatum mutari: neque vnquam quieſcere: iuſtæ verò æquabiliſque gubernationis, eos qui in his ciuitatibus potentes ſunt, ne nomen quidem ipſum audire velle. Hæc ego vnà cum ſuperioribus illis conſiderant, Syracuſas profectus ſum: fortè quidem fortuna quadam. Videtur autẽ alicuius eorum opera qui ſupra nos ſunt, principium tunc fuiſſe datũ omnibus quæ nuper Dioni Siracuſíſque contigerunt: ac vereor, ne pluribus inſuper, ſi vos mihi nunc iterum conſulenti nequaquam aſſentiamini. Quemadmodum verò dicam omnium fuiſſe principium, profectionem tunc Syracuſas meam accipite. Ego cum Dione tunc iuuene cõuerſabar frequens, & quæ hominibus optima fore arbitrabar, quibus poteram rationibus ſuadebam, & vt faceret conſulebam. Sed his dicendis videor latenter & pręter intentionem tũc eam tyrannidis ruinam quę ſequuta eſt, parauiſſe. Dio enim cùm eſſet acerrimo ingenio, cum ad cætera omnia, tum ad ea quæ tunc dicebantur à me perdiſcẽda, ita celeriter ac vehemẽter illa arripuit, vt nemo ex omnibus iuuenibꝰ, quos vnquam conuenerim. Ac reliquã vitam ducere ſtatuit multò præſtantius, quàm alij multi Italicorum atq; Siculorũ, virtutẽ potius quàm voluptatẽ deliciáſq; ſectatus. Itaq; infenſus viuebat illis qui in tyrannicis inſtitutis degebant, atque hoc vſq; ad Dionyſij mortem. Poſtea verò animaduertit eam ſentẽtiam quam ipſe rectis conceperat rationibus, non in ſe vna ſolùm, verumetiam in aliis quibuſdã licet nõ multis exiſtere, in quorum numero Dionyſium iuniorem diis bene iuuantibus ſperabat fore: quod ſi accideret, & ille ipſe & cæteri Syracuſani mirificam felicitatẽ nanciſcerentur. Quapropter cenſuit me quàm celerrimè Syracuſas debere accedere, vt horum ſociũ adiutorémq; me adiungerẽ: memoria tenens quàm facile dudum mea conſuetudo ipſum in cupiditatem vitæ pulcherrimæ atque optimæ traduxiſſet. Quam cupiditatem ſi in Dionyſio vt aggreſſus erat perficeret, magnam ſpem habeat abſque cædibus & ſanguine, & abſq; iis quæ nunc euenerunt malis, veram viuendi rationem ac beatam vitam in vniuerſa illa regione cõſtituere poſſe. Hæc Dio rectè conſiderans, Dioniſio ſuaſit, vt me vocaret: & ipſe quoque rogauit vt accedere cũctis poſthabitis feſtinarem: prius quàm vlli alij Dionyſio adhærentes, neglectis optimis vitæ inſtitutis ad alia illum deflecterent. Cohortationem inſuper precibus longam adiunxit. Quódnam, inquit, tempus aliud iam expectamus ad agendum opportunius, quàm quod nunc nobis eſt diuina quadam fortuna conceſſum? Narrabat præterea magnitudinẽ imperij Dionyſij per Italiam atq; Siciliam, eiúſque in his ipſis locis potentiam, iuuentam quoq;, atque cupiditatem eius ad philoſophiæ & diſciplinæ ſtudia vehementiſſimã. Quin etiã quàm propenſi forent eius neceſſarij atq; domeſtici cùm ad eam quã ſuaderem diſciplinam vitæ recipiendã, tum etiã quam in ipſo quoq; Dionyſio ad hoc prouocando valerent. Itaq; ſi vnquam alias, nunc certè maximam adeſſe ſpem, eoſdem fore & philoſophos & magnarũ principes ciuitatũ. Ille igitur his me rationibus aliis generíſque eiuſdẽ permultis adhortabatur. Ego verò quò tandem affectus iuuenum euaſurus eſſet, formidabam. Taliũ enim cupiditates & veloces ſunt, & ſæpe ſibimet contrariæ feruntur. Dionem tamen tum natura grauẽ, tum ætate iam ſatis maturũ eſſe ſciebam. Itaque cogitãti ambigentiq; mihi vtrum eundum parendúmq; foret, nécne: ſubiit tandem, obſequendum eſſe. Atq; ſiquis vnquã ea quæ de legibus & republica cogitauerat, perficere velit, nunc fore tentandum. Quippe cùm iudicarẽ ſi vni duntaxat perſuaſiſſem, me bona ſufficienter omnia perfecturum. Quamobrem hac ſentẽtia fiduciáq; domo abiui: non qua opinabãtur quidam: ſed quadam ſcientiæ verecundia in primis adductus, ne quando mihi ipſi viderer verba ſolùm habere: effectum verò officiúmq; nullum ſponte præſtare: proderéq; primùm Dionis hoſpitalitatẽ amicitiámque non paruis ſubiecti periculis. Cui ſiquid aduerſi accideret, vel pelleretur à Dionyſio cæteríſq; inimicis, atque profugus ad nos his verbis confugeret: O Plato, venio ad te patria pulſus: cùm neq; militibus, neq; equitibus carerem, quorum viribus reſiſterẽ inimicis: ſed verbis perſuaſionéq; indigerem: qua maximè ſciebam te poſſe, iuuenes ad probitatẽ iuſtitiámq; exhortando in amicitiam neceſſitudinémq; deuincire. Quarum defectu rerum, modò per te factum eſt vt ego Syracuſis expulſus huc acceſſerim. Et mea quidem fortuna abs te deſerta, minus tibi vituperationis affert. At verò ipſa philoſophia, quam ſemper laudas, quámve apud alios carere honore cõquereris, nónne abs te nunc vnà mecum prodita eſt? Quòd ſi Megaris fuiſſem, veniſſes vtique mihi adiutor, cùm te vocaſſem: alioquin te omnium ignauiſſimum iudicauiſſes. Nunc autem ob itineris longitudinem, periculúmque nauigationis atque labores, te excuſans infamiam euitare te putas: permultum certè aberit. Si inquam, hæc ille diceret, quænam mihi eſſet probabilis reſponſio? Certè nulla. Quas ob res rationibus quoad fieri poteſt probabilibus atque ipſo iure adductus acceſſi, relinquens exercitationes meas ſatis quidem honeſtas, vt ſubirem tyrannidem neque meis ſermonibus, neque mihi conuenientem. Veniens autem me liberaui, ne vel hoſpitalis Iupiter, vel philoſophica ſors accuſare me poſſet. Certè philoſophiæ dedecori fuiſſem, ſi ob mollitiem timiditatémque infamiæ notam ſubiiſſem. Cæterùm cùm eò veniſſem (neq; enim oportet lõgius euagari) omnia apud Dionyſium ſeditionis plena offendi, atq; calumniarum in Dionem, quaſi tyrãnidem affectaret. Defendi igitur quantũ valui, ſed parum potui. Quarto enim ferè menſe poſt aduentũ meũ Dionyſius accuſans Dionẽ quaſi tyrannidi inſidiaretur, in paruũ cõiecit nauigiũ ac turpiter expulit. Amici verò Dionis, quot eramus, cuncti

formida

formidabamus, ne fortè aliquem noſtrum Dionyſius quaſi ſocium illius criminis ſupplicio afficeret. Rumor autē exortus eſt Syracuſis, me occiſum eſſe à Dionyſio, quaſi omnium quæ tunc acciderint, autorem. At ille ſentiens nos omnes ſic affectos, veritus ne ex metu noſtro aliquid forſan accideret grauius, benignè admodum omnes recepit. Me certè ipſum conſolatus bonam habere ſpem iuſſit, atque vt permanerem, omnino rogauit. Erat enim ſibi in fuga quidem mea nihil honeſti: ſed in permanendo. Atq; idcirco precari me maximè ſimulabat. preces autem tyrannorū neceſſitati permixtas eſſe nō ignoramus. Cùm verò ne abirē machinaretur, collocauit in arce: atq; his locis habitare voluit, vnde nullus poſt hac nauta non modò prohibente illo, ſed niſi iubente atq; mittēte foret abducturus: neque quiſquam ſiue mercator, ſiue alicuius oræ maritimæ prę fectus, me ſolum exeuntem cōſpexiſſet, qui non me captum ad Dionyſium repentè reduceret: præſertim cùm iam contrà quàm prius vulgatū eſſet, Dionyſium rurſus Platonem vehementer complecti. Et quodammodo ita erat. Neq; enim tacendū eſt verū. Complectebatur ille quidem in dies me magis atq; magis, & gaudebat moribus noſtris atq; conſuetudine. Cupiebátq; à me laudari magis quàm Dionē, & amicum longè magis exiſtimari. Et ad id quidem maximè contendebat. Rationem verò qua id optimè fuiſſet factū, ſi modò id fieri potuiſſet, neglexit. Hæc enim fuerat, vt mihi videlicet in audiendis addiſcendíſque philoſophię rationibus liberius adhęreret, mecumq; cōueniret. At verò ad hoc ille diffidentior erat: timens ne quemadmodū aſſerebāt calumniatores, ſi rationibus illis implicaretur, Dio, quæ cupiebat, iam eſſet omnia cōſecutus. Ego autē omnia pertuli, in eadem ſententia perſeuerans, qua ab initio profectus erā: tentás ſiquo pacto fieri poſſet, vt in cupiditatem vitæ philoſophicæ perueniret. At ille contrà nitens me vicit. Et primum quidē tempus meæ profectionis in Siciliam, actionúmque illic mearum per hæc omnia traductum eſt: poſteris verò temporibus in Siciliam iterum ſum reuerſus: quo me omni ſtudio Dionyſius reuocabat. Quam verò ob cauſam rurſus acceſſerim, quídue illic egerim, neq; id quidem abſq; ratione, tunc demum vobis referam, cùm vobis quid potiſſimum rebus ſic ſe habentibus agēdum ſit, conſuluero. Referā inquā eorum gratia qui interrogant quónam conſilio ſecundò redierim. Sed ne quæ acceſſoria ſunt præcipuis anteponantur. ad cōſilium iam deuenio. Reor equidem hominem conſulentē ægroto, & circa victum intemperato, in primis hoc ſuadere debere, vt modum viuēdi mutet: ac ſi ægrotus in hoc obediat, tunc alia iam illi ad medalem conferre. At ſi parere nolit, tunc cōſulentem ipſum virum putabo & medicum, ſi eum omiſerit: quòd ſi conſulendo vlterius perſeuerauerit, contrà putabo: ignauū ſcilicet atque artis expertē. Idē quoq; de ciuitate, ſiue vnus eam gubernet, ſiue plures, exiſtimo. Si enim probabili quadam ratione rectáq; via incendenti, populo vile aliquid conſulatur, id quidem agere, ſapientis officium arbitror. Sin autē penitus à ciuili ratione deſciſcat, neque veſtigia quidem eius ſequi velit, dicátque conſultori: præſtare vt rempublicam omittat, neque quicquam in ea cōmoueat, vtpote ſi cōmouerit perituro: voluptatibus autem libidinibúſque ipſorum indulgeat: atque ea ratione conſulat, qua facilimè ſemper celeritérque ſatis eorum voluptatibus fiat: equidem eum qui in eiuſmodi gubernatione perſtiterit, nequaquam virum putabo: ſed eum potius qui prorſus omiſerit. In hac ergo ſententia conſtitutus, quoties aliquis me de rebus grauioribus conſulit, ſiue ad diuitias, ſiue ad corporis, vel animi purgationem pertineant, ſi quotidiana illius vita modum aliquē ſeruare poſſe videatur, vel ſaltem conſulenti mihi videatur obtemperaturus, libenter conſulo, neq; prius deſino quàm initiū pro viribus ad finem vſq; perduxerim. Si autem aut omnino non petat à me cōſilium: aut qui petit, manifeſtè appareat conſulenti mihi nullo modo obtemperaturus: vltro quidem non accedo ad cōſultandū: per vim verò, ne ſi meus quidem ſit filius. Seruo tamen etiam inuito conſulerem, ac vi adhibita compellerem. At patrem vel matrē per vim cogere nefas eſſe arbitror, niſi propter morbum mente alienatos. Quòd ſi ſuo quodam more viuant, qui mihi nequaquā probetur, néque infenſus aduerſarer fruſtra monendo, neque rurſus blandiendo eorum cupiditatibus aſſentarer, ea porrigens quibus ego ſi indulgerem, viuere nolim. Hac eadem mēte circa patriam vir prudens eſſe debet: vt ita repręhēdat ciuitatis errores, ſi neq; fruſtrà ſit repræhēſurus, neque ob reprehenſionis ſtudium periturus: vim autē patriæ per reipublicæ mutationem afferet nunquam, quando abſque expulſione & cæde ciuiū emendari non poſſit. Sed quietem aget, votóque precabitur optima & ſibi & patriæ. Hoc igitur pacto ego vobis conſulerem. Conſulebā ſimiliter. Dionyſio vnà cum Dione: ea videlicet ratione quotidie viuere, qua ſuiipſius cōpos maximè redderetur: amicóſque & familiares fidos haberet: ne idem ſibi quod & patri accideret. Qui cùm multas in Sicilia magnáſq. vrbes ſuſcepiſſet, quondam à Barbaris deuaſtatas, eáſque reſtituiſſet: non potuit in ſingulis illarum gubernatores rerumpublicarum cōſtituere fidos, neque ex domeſticis ſuis, neque ex aliis vndecūq; cōparatis, neq; ex fratribus ſuis quos ipſe à pueris educauerat: ſed tum ex priuatis hominibus magiſtratus, tum ex pauperibus admodū diuites fecit. Horū tamen nullum fidū ſibi gubernationis ſociū potuit adhibere, vel ſuadendo, vel docēdo, ſiue largiendo, ſiue in neceſſitudinem recipiēdo: ſepties deterior Dario, qui neq. fratribus cōfidens, neq. his qui ſub eo educati fuerant, ſed ſociis duntaxat Medi, Eunuchíq. imperij partes diuiſit ſeptē, ſingulas maiores tota Sicilia: aſſignauítq. ſingulis, Atq. eos fidos nactus eſt regni ſocios. neq. vel ſibi, vel inuicē inſidiantes. Præterea exemplū dedit, qualem oportet ſeipſum legumlatorem regémq. bonum pręſtare, quippe cùm leges tulerit, quibus adhuc Perſarum ſeruatur imperiū. Accedit ad hæc, quòd Athenienſes cúm multas Gręcorum vrbes non à ſe quidē, ſed ab aliis cōſtitutas, deinde occupatas à Barbaris in poteſtatem ſuam recepiſſent, annos ſeptuaginta in ea tenuerunt imperiū, vtpote qui amicos ſibi in ſingulis ciuitatibus cōparauerant. Dionyſius autem cùm in vrbē vnā vniuerſam Siciliā congregaſſet, ob ſapientiā nulli cōfidens ægrè ſeruatus eſt. Carebat enim amicis fidíſque hominibus: quo nullū maius eſt argumentū, vel improbitatis ſi deſint, vel probitatis ſi abſint. Hæc igitur Dionyſio ego ac Dio conſulebamus, poſtquam paternæ res ſic ſe habuiſſent, quòd neque eruditorum virorum familiaritates, neq; decentes haberet conſuetudines. Admonebamuúſq; vt animū ad hæc intendes, in primis amicos ſibi alios ex domeſticis &

æqualibus

æqualibus compararet, ad virtutémq. concordes. Maximè verò vt ſeipſum ſibi conſentientem conſtantémq; præſtaret: huius enim rei defectum apud eum eſſe quàm maximum oſtēdebamus, non apertis quidem nunc verbis, neque enim tutum fuiſſet: ſed ratione quadam latentiore, idem tamen ſignificante, docentes ita demum vnunquenque hominum tam ſe quàm illos quibus imperat poſſe ſeruare, ſi hæc obſeruauerit: ſin autem contrà ſe geſſerit, contrà prorſus accidere. Quòd ſi ita vt dicebamus ſe compararet, ſéque ipſum prudentem temperatúmque præſtaret: ſi rurſus deuaſtatas vrbes Siciliæ reſtitueret, ac legibus inſtitutíſque ad rempublicā pertinentibus eas muniret, vt & ſibi beneuolæ, & inter ſe inuicem contra vim Barbarorum auxilio forent, non duplicaret modò regnum paternum, verumetiam multiplicaret. Fore quidem ſi ita ſe gereret, vt Carthaginenſes multò magis faciliúſque ſuæ poteſtati ſubiicerentur, quàm Geloni ſubditi fuiſſent: cōtrà quàm patri accidit ſuo. ille enim pendere tributum Barbaris coactus fuerat. Hæc erāt quæ dicebamus præcipiebamúſque Dionyſio, nos videlicet inſidiantes ſibi, vt multi diuulgauerant. qui & cùm nos apud Dionyſium ſuperauiſſent, Dionem quidem expulerunt, nos autem in formidinem cōiecerunt. Verùm vt non pauca paucis conprehendamus, Dio profectus ex Peloponneſo atque Athenis, rebus iam ipſis Dionyſium cōmonefecit. Cùm ergo liberaſſet ciuitatem Dio, cámque iam bis ciuibus reddidiſſet, eodem pacto affecti fuerunt aduerſus Dionem Syracuſani, quo & antea Dionyſius. Nam olim Dionyſium Dio educare atque erudire contenderat, quò eum regē regno redderet dignū, talémque ſe illi per omnem vitam præſtare ſtatuerat. Obtrectatores autem calumniatoréſque Dionyſio perſuaſerunt, Dionem quaſi tyrannidi inſidiantem in eo tempore hæc omnia machinari, vt mens Dionyſij diſciplinæ ſtudiis irretita, dominationem negligeret, eámq. Dioni totam relinqueret, Dio verò gubernationem dolo vſurpans, illum expelleret. Quemadmodum verò tūc apud Dionyſiū, ita poſteà inter Syracuſanos hæc eadem dicta iactatáq. peruicerunt, infami prorſus turpiq. victoria his ipſis qui vicerāt. Sed quale id fuerit, audire vos oportet, qui me ad res nunc veſtras componendas vocatis. Veni ergo Athenienſis homo Dionis amicus atque adiutor eius aduerſus tyrannum, vt pro bello amicitiam facerem: at pugnans contra calumniatores, ſuperatus ſum. Cùm verò Dionyſius conaretur non verbis ſolum, ſed pecuniis etiā & honoribus me ſibi cōciliare atq. detinere, vt mea cum ipſo familiaritas teſtimonio foret Dionem non iniuria expulſum fuiſſe, nihil apud me hac in re tanto ſuo conatu cōſequi potuit. Poſteris verò temporibus Dio rediens domū fratres duos Athenienſes ſecū duxit: non ex philoſophia ſic amicos, ſed ex hac communi vulgariq; familiaritate: quæ hoſpitalitate quadā & frequēter inter ſacra ſpectaculiq. cōſuetudine, amicitiam contrahere cōſueuit. Similiter illi tum ex his quæ dixi, tum quia redeunti obſequia præſtiterunt, amicitiam cum Dione cōflauerant. Hi ergo cùm in Siciliā profecti eſſent, intelligerentq. calumnias inter illos ipſos qui ab ipſo liberati erant, in Dionem cōiectas, quaſi tyrānidem affectaret, nō prodiderūt modò amicum & hoſpitem, ſed ferè propriis manibus ipſi percuſſores fuerunt. Arma enim tenētes interfectoribus palam auxiliati ſunt. Et facinoris quidem illius turpitudinē impietatémq; neq; pręterco equidē, neq; enarro. Multi enim hæc diligentius celebrant, ac in poſterū celebrabunt. Sed aduerſus infamiā ciuitatis noſtrę reſpondeo. Nā ſi Athenienſes fuerunt illi qui prodiderunt, ille quoq; Athenienſis fuit, qui neq; pecuniarum neq; honorū pollicitatione, vt proderet illū adduci vnquā potuit. Non enim per vulgarem mercenariámq; beneuolentiā factus erat amicus: ſed per liberalis diſciplinæ communionē. Cui certè vni, qui ſapit, plus adhibet fidei, quàm vlli & animorum coniunctioni & corporum conſanguinitati. Itaq; nō tanti æſtimandi ſunt illi, vt dedecus ciuitati ob Dionis cædem afferre potuerint: quaſi alicuius pretij vnquam fuerint. Hęc dicta ſunt omnia, quò Dionis amicis propinquiſq; conſuleretur. Conſulo autem præterea & tertiò vobis quoq; iam tertius idē prorſus eadémque ratione: ne Sicilia, néue ciuitas vlla aliquibus hominibus, ſed legibus duntaxat ſubiiciatur, vt noſtra fert ſententia. neque enim dominantibus ipſis, neq; ſeruientibus id vtile eſt, neq; eorū filiis, aut natis natorū: ſed pernicioſorum omnino hominū eſt id aggredi. Anguſti verò & illiberalis animi eſt eiuſmodi lucra præripere: nihil vel in præſens vel in futurum tempus bonorum iuſtorúmq; vel diuinorum humanorúmve intelligentis. Hæc ergo Dioni primū perſuadere conatus ſum: deinde Dionyſio: tertiò verò nunc vobis. Ergo pareatis mihi Iouis tertij ſeruatoris gratia. Præterea Dionyſij Dioníſq; exitum animaduertite. Dionyſius quidem non obtemperans conſiliis meis, viuit etiam nunc non honeſtè: Dio verò cùm obtemperauiſſet, honeſtè interiit. Ei namq; viro qui præclariſſima ſibi patriæq; affectat, nihil vnquam niſi rectum & honeſtū poteſt accidere. Nec verò quiſquam noſtrū natus eſt immortalis: neque ſicui id contigerit, eſſet is propterea felix, vt vulgo videtur. Rebus quidem carētibus anima nihil vel bonū eſt, vel malum exiſtimatione dignū: ſed vnicuiq; animę id accidet, aut dum eſt cum corpore, aut à corpore ſeparatæ. Credendum eſt reuera ſemper antiquis ſacriſq; verbis, quæ nobis nunciant immortalē eſſe animam, iudicéſq; habere, ſuppliciáq; pati maxima, poſtquàm à corpore fuerit ſeparata. Quamobrē minus malum exiſtimandum eſt, perpeti grauiſſimas iniurias à delinquentibus illatas, quàm inferre. Quæ quidem homo cumulandæ pecunię deditus, & hebeti ingenio non audit, ac ſi audiuerit, quaſi ſuo iudicio deridenda contemnit: atq; imprudenter rapit vndiq; quicquid exiſtimat ſibi veluti beſtiæ, voluptates ventris ſuppeditaturum, oblectationémque veneream: ſeruilem certè atque ingratam & abſurdam, nec veræ voluptatis nomine dignam: & quaſi cęcus non cernit ſe fruſtra contendere inexplebilem explere cōcupiſcentiam. Neq; rurſus cernit quantū ſit impietas malū, quibúſq; inſit rebus ſemper iniuſtitiæ mixta. Quam quidem neceſſe eſt animam quæ perpetrauerit iniuſta, ſecum habere, & dum per terrā reuoluitur inter homines, & dum ſub terram paſſim turpiter omnino atq; miſerè circunfertur. Cùm igitur hæc aliáq; generis eiuſdē Dioni dicerē, perſuaſi, Interfectoribus autem eius iuſtiſſimè quidē iraſcerer, eodē quaſi modo atq; Dionyſio. vtriq; enim & mihi & aliis, vt ita dixerim, omnibus dāna grauiſſima intulerunt. Illi quidē cùm interficerent eum qui volebat iuſtitia vti: Hic autē cùm nullo pacto vellet iuſtè agere in vniuerſo regno, maximam potētiam iam habens. In quo ſi philoſophia vnà cum potētia

verè

verè in idem quaſi domiciliũ concurriſſet, per omnes homines & Græcos & Barbaros elucentem veràmq; opinionem ſufficienter omnibus oſtendiſſet: neque ciuitatem neque hominem vnquam fore felicem, niſi & cum prudentia, & ſub iuſtitia vixerit, ſiue per ſe illas poſſideat, ſiue ſub ſanctorum principum moribus ritè educetur atque erudiatur. In his quidẽ nocuit Dionyſius. Cætera verò ſi ad hæc conparentur, damna perexigua mihi videntur. At enim qui Dionẽ interfecit, non intellexit idẽ, quod Dionyſius, ſe feciſſe. Equidem certè ſcio, quantũ homini de homine affirmare licet, Dionem ſi regni gubernacula diutius tenuiſſet, nunquam in aliam dominandi formam fuiſſe conuerſurum, quàm cùm ab initio patriam ſuam Syracuſas, expulſa ſeruitute in ſuo iure conſtituit libertatis iam ſplendore lætiſſimam: deinde omni ſtudio ciues congruis optimiſq; legibus ornaturum: præterea omnem diligẽtiam adhibiturũ fuiſſe, quò tota inhabitaretur Sicilia, liberareturque à Barbaris, aliis quidem expulſis, aliis verò ſubactis facilius quàm fecerat Hieron. Cũ verò hæc per virum iuſtum, fortem, temperatũ, vel philoſophum geſta fuiſſent, eadem apud multos virtutis floruiſſet opinio: quæ & ſaluare apud omnes, vt ita dixerim, homines viguiſſet, ſi Dionyſius nobis ab initio paruiſſet. Nunc autẽ ſiue quis dæmon, ſiue pernicioſus aliquis his ſeſe obiiciens, iniquitate & impietate, & quod peſſimum eſt ignorantiæ audacia: ex qua mala omnibus omnia & radicibus hęrent, & pullulant, & in poſterum producunt fructum auctoribus ſuis amariſſimum: cuncta hęc peruertit rurſus & perdidit. Sed nunc tertiò feliciũ auſpiciorum gratia, bona duntaxat ominemur. Conſulo igitur vobis aminis, vt Dionẽ imitemini: amorem illius in patriam vitæque temperantiam magis magiſque complectentes. Boniſque auſpiciis conſilia eius perficere conemini, quæ qualia fuerint, apertè quidẽ ex me audiſtis. At ſi quis eſt inter vos, qui Doricè nequeat viuere ſecundum patriæ inſtituta, ſequatúrque Siculum viuendi morem, & eos qui Dionem occiderunt, neque eum recipere, neque exiſtimare velitis vlla in re fidelem atque ſyncerum. Cæteros autem adhortari potius debetis ad habitationem totius Siciliæ diſponendam, legúmque paritatem, tum ex ipſa Sicilia, tum ex omni Peloponneſo: nec Athenas horrete. Sunt enim & ibi viri virtute omnium præſtantiſſimi, & qui odio habeant eorum crudelitatem, qui hoſpitum cæde ſe polluant. Verùm ſi hæc tardiora iam ſunt, vrgéntque vos quotidianæ, multiplicéſq; ſeditiones atque diſcordiæ, intelligere vnumquenq; oportet, cui modò vel paulum rectæ opinionis ſors quædam diuina largita ſit, nullum fore finem ſeditionum, malorúmque ex ſeditione naſcentiũ, prius quàm illi qui vicerint prælio, à cædibus pulſionibúſque ciuiũ, atq; etiam iniuriarũ commemoratione vindictæq; cupiditate temperantes inimicis concilientur; ſuique ipſius compotes fiant: præterea leges ferãt communes nihilo magis ad voluptatem ſuam quàm eorum quos vicerint: cogántque illos his legibus vti. Cogant inquam, gemina neceſſitatis via: metu ſcilicet & pudore: metu quidem, propterea quòd potentiores ſint, ſuã vim demonſtrantes: pudore verò ex eo, quòd rurſus potentiores promptioréſq; appareant, tum in voluptatibus ſuperandis, tum in legibus obſeruandis. Aliter autem nulla prorſus eſt via finiendorum malorum ciuitatis in ſe ipſa ſeditionibus laborantis: ſed ſeditiones, inimicitiæ, odia, proditiones in republica, vt in ciuitatibus ita ſe habentibus intra ſe atq; viciſſim fieri conſueuit, ſemper exoriẽtur. Quamobrem qui tanquam potentiores rempub. tenent, ſi ſalutem exoptant, ipſi inter ſe eligere atq; in honore præferre eos debent, quos eſſe audiuerint optimos: primùm quidem ſenes qui filios & vxores habeant, atq; domicilium: ac maiores eorũ quàm plurimos, & probatos, & inſignes, ſufficiénſque omnes patrimonium poſſidentes. Ciuitati verò decem millium virorum, quinquaginta eiuſmodi ſufficient. Hos ergo precibus honoribúſq; quàm maximis domo euocare debent: euocatos autẽ precari, atq; iureiurando adſtringere, vt leges condant, quæ neq; victoribus, neq; victis plus tribuãt: ſed ius vniuerſæ ciuitati æquum atq; commune. Latis denique legibus in hoc iam omnia conſiſtunt. Si enim victores ſub eſſe legibus voluerint, magis etiã quàm illi qui victi ſunt, omnia iam erunt ſalutis, felicitatiſq; plena: maláque omnia procul aberũt. Sin minus, nec me, nec alium in commune conſilium ad eum vocare oportet, qui præceptis eiuſmodi nõ acquieuerit. Hæc vtiq; germana ſunt eorum quæ iam diu ego ac Dio Syracuſis efficere recto iudicio aggreſſi ſumus: poſteriora tamen. Nam prima quidem illa fuiſſent, quæ apud Dionyſium ipſum primo, bona omnibus cõmunia agere conati ſumus. Seb fortuna quædam hominibus potentior illa diſſoluit. Nunc autem vos iſtã conemini bona quadam ſorte diuináq; fortuna fortunatius agere. Atque hic finis epiſtolæ de conſilio, déq; prima in Siciliam ad Dionyſium nauigatione mea. Quòd autem ſequẽs profectio & nauigatio mea, neq; ab re, neq; temerè ſuſcepta fuerit, ſicui id curæ ſit, audire iam licet. Primum quidẽ habitationis in Sicilia meæ tẽpus mihi tranſactum fuerat, quemadmodum ſuprà dixi prius, quàm amicis neceſſariiſq; Dionis conſilium darem: poſtea verò quantũ potui Dionyſio perſuaſi, vt me abire permitteret. Conuenerat autẽ inter nos, vt cũ pax facta eſſet ex bello, quod tunc in Sicilia erat, ſtatúſq; illius tutius confirmatus, Dio reuocaretur, atque ego ſimul accederem. Voluit autem Dionẽ intelligere atque exiſtimare ſe non quaſi in exilio, ſed in receſſu quodam conſtitutum eſſe certo tempore rediturum. Ego verò conſentiens recepi me ita facturum. Sed cùm poſtea pax ſecuta eſſet, me quidẽ accerſiuit Dionyſius: Dionem verò ad annum inſuper hortatus eſt abſentiã tolerare. Me autẽ, vt omnino ad ſe properarẽ, rogauit. Dio igitur, vt illuc accederem, & iubebat, & precabatur. Increbuerat enim in Sicilia fama, Dionyſium miro quodam rurſus philoſophiæ deſiderio affici. Quare cõmotus Dio, ne perfectionem omitterẽ, magnopere flagitabat. Ego verò quanquam ſciebam iuuenes plerunq. erga philoſophiam affici ita ſolere, exiſtimaui tamen tutius fore, vt rem totam dimitterẽ, neq. Dionyſio, neq. Dioni parerem. Odioſè igitur vtriq. reſpondi; me videlicet idcirco non profecturum, quia ſenex iam eſſem, & eorum quæ in præſentia fierent, nihil ita vt conuenerat, fieret. Audiui autem Architã Tarentinum interim ad Dionyſium acceſſiſſe. Ego enim illũ ante diceſſum meum nonnullóſque alios Tarẽtinos in Dionyſij familiaritatem adduxeram. Erant & alij quidam Syracuſis nonnunquam Dionis auditores: atq. inter hos alij quidam, qui alia plurima in philoſophia audiuerant, qui mihi viſi ſunt contendiſſe de rebus huiuſmodi apud Dionyſium

diſpu-

diſputare: quaſi ille omnia quæ excogitauerim, audiuiſſet. Ille verò nec hebes eſt ad perdiſcendum: & honoris cupiditate vehementer incenſus. Placuerũt igitur ipſi fortè quæ dicebantur: manifeſtéq; erubeſcebat, nihil à me cum ad eum profectus eſſem, audiuiſſe. Itaque partim amor planius audiendi eũ inuaſerat: partim cupiditates gloriæ ſtimulabat. Quã verò ob cauſam in prima illa peregrinatione mea non audiuerit, in ſuperioribus enarraui. Cùm ergo domum ego ſoſpes rediiſſem: atque illi iterũ reuocanti negauiſſem, vt dixi, viſus iam mihi eſt Dionyſius honoris ſui cura prorſus ardere: veritus ne ſic acciperent homines negationem meam, quaſi illũ prorſus contemnerem, cùm eius ingenium moréſque, & vitam ipſa experientia cognouiſſem. Iuſtum eſt autem me verũ fateri, ferréque ęquo animo, ſi quis quę contigerint audiens, meã quidem ſpernat philoſophiam, tyrannum verò mentem putet habere. Miſit enim Dionyſius tertiò ad me triremem, qua facilè nauigarem. Miſit & Archedemũ: quem ex omnibus Architæ in Sicilia familiaribus plurimi à me fieri exiſtimabat, atque vnà alios ex Sicilia nobiles. omnes iiſdem mihi verbis affirmarunt Dionyſium mirum in modum philoſophiæ deditum eſſe. Miſit ipſe pręterea pergrandẽ epiſtolam, cùm ſciret quemadmodum ipſe & erga Dionem afficeret, & Dionis cupiditatem id prorſus expetere, vt Syracuſas me conferrem. Ad hæc igitur omnia compoſita epiſtola fuerat, tali quodam exordio, Dionyſius Platoni. Legitima & conſueta ratione in his præfatus: Nihil deinceps prius (ait) tibi fuerit, quàm quòd in Siciliam pro noſtra voluntate veneris. Primùm quidem de Diono ita fiet vt ipſe volueris. Voles autem, vt arbitror, moderata: atque ego cõcedam. At verò niſi veneris, nihil impetrabis eorum, quæ pro Dione optas: neque in rebus aliis, neq; in iis quæ ad perſonã ſuam ſpectantia in primis deſideras. Hæc ita ſcripſit. Cætera verò prolixa forent: neque ſatis opportuna relatu. Venerunt aliæ quoque epiſtolę ab Archita, aliiſq; Italis & Tarentinis, laudantes in Dionyſio ſapientiæ ſtudium. præterea his addebant: niſi proficiſcerer amicitiam illam quam ipſis cum Dionyſio conflaueram, neque paruam quidem, quãtùm ad ciuilia ſpectat, me omnino calumniis ſubiecturum. Cùm igitur eo tempore ſic accerſerer, aliis quidem ex Sicilia atque Italia me trahentibus, aliis verò precibus Athenis quaſi me impellentibus, ratióque mihi dictaret non decere Dionẽ, Tarentinóſque hoſpites, & amicos prodere: atque mihi ipſi ſuccurreret, nõ eſſe mirum ſiquis ingenioſus iuuenis cùm prius ſermones de rebus magnis audire noluerit, mutata deinde ſententia ardore quodam vitæ optimæ accendatur: oporteréque ipſum euidenter explorare, vitã in partem declinet: nec ipſum prodere: nec me ipſum cauſam illi præbere tantæ vituperationis ſuæ, ſi modò res eius reuera ita vt fertur, ſeſe habeant: harum inquam rationum patricinio protectus iter ingredior, multa quidem timens, multáque fore diuinans, nec valde felicia, vt apparuit. Profectus denique ſum tertiò, ſub Seruatore. Id enim reuera conſecutus ſum: nam rurſus feliciter ſum ſeruatus. At horũ poſt Deũ Dionyſio habeo gratiam, quoniam cùm pleriq; me interficere cuperent, reſtitit ipſe, partéq; aliquã pudoris ſui meis in rebus exhibuit. Cum itaque ad eũ perueniſſem, operæpretium in primis fore cenſui hoc ipſum examinare, vtrum reuera Dionyſius amore philoſophiæ accenſus velut igne flagraret: an vanus de eo rumor Athenas vſque fuerit peruagatus. Eſt modus quidam experientiæ circa hæc ſumendæ non inelegans, ſed tyrannis reuera conueniens, his præcipuè, qui plurimos iã audierint. quod quidem ego ſtatim veniens perſenſi prorſus Dionyſio contigiſſe. Oſtendendum eſt itaque illis quàm magna res philoſophia ſit, quantóque ſtudio egeat, & quantis laboribus comparetur. Qui igitur hæc audierit, ſi reuera ſapientiã amet eiq; natura cognatus, atq; ipſius poſſeſſione ſit dignus, quaſi qui diuinus ſit, viã ſibi mirabilem eſſe putat oſtẽſam, pérq; eam ſibi omni conatu exiſtimat gradiendũ, aliterq; facienti viuendũ eſſe non cenſet. Itaq; ſeipſum atq; etiam huius vitæ ducẽ impenſius cohortatur: neq; prius deſinit, quàm vel finem omnium fuerit conſecutus, vel ſaltem eam ſibi cõparauerit facultatem, per quam ipſe ſe iam ſine duce ad terminũ perducere valeat. Hæc igitur, atq. huiuſmodi rationibus ille conſiderãs, per vniuerſam vitã, quicquid omnino agat, ante omnia eſt philoſophiæ ſemper intentus victuq; quotidiano vtitur, quo maximè queat ingenium, & memoriam, & iudiciũ cõſeruare, ſeſe ſobrium præſtans, contrariumq; huic victum ſemper odio habens. At verò qui non ſunt reuera ſapientiæ amatores, ſed opinionibus dũtaxat extrinſecus colorati, inſtar eorũ qui ſub ſole vruntur atq; colorãtur, cùm audiuerint quot diſcẽda ſint, quãto labore, qua quotidiani victus temperantia philoſophiæ ſtudiis neceſſaria, rem protinus ſibi durã impoſſibilemq; rati, vt operã illi dent adduci non poſſunt. Pleriq; verò ſibimet perſuadent, ſufficienter ſe omnia iam audiuiſſe, neque ſtudio prorſus vllo vlterius indigere. Hæc vtiq; faciẽdi periculi ratio perſpicua eſt, & minimè fallax aduerſus eos qui proſequi præ mollitie nequeũt, vt crimen in præceptorẽ reiicere nunquam poſſint, ſed ipſi iam ſeipſos ad ea quæ philoſophiam decent peragenda redarguant, vt impotentes. Hac vtiq; examinis ratione apud Dionyſiũ tunc vſus ſum, cuncta verò nec ego percurri, neque Dionyſius requirebat. Nam erant permulta & maxima, in quibus ſe ſatis doctũ ob ea quæ ab aliis audierat, exiſtimari ſtudebat. Audio verò ipſum de his quæ tunc audiuit ſcripſiſſe poſteà, quaſi artem propriam componentem, & nihil eorum quos audiuit. De his verò ego nihil certi ſcio. Alios tamen quoſdam noui de rebus eiſdem ſcripſiſſe. quicunq; verò hi fuerint, nec ipſi quidem ſeipſos cognouerunt. Tantum verò dicam de his omnibus qui aut ſcripſerunt, aut ſcripturi ſunt, ſe ſcire affirmantes quæ ſint ea quæ ipſe tanquam ſeria ſtudioſè meditor, ſiue à me, ſiue ab aliis audiuerint, ſiue tanquam inuentores ipſi fuerint, nihil eos ipſa de re meo iudicio percipere poſſe. nec enim de ipſis ſcripſi vnquam, neq; ſcribam. Id nanq; nullo pacto verbis exprimi poteſt, quemadmodũ cæteræ diſciplinæ, ſed ex diuturna circa idipſum conſuetudine, vitæq; ad ipſum cõiunctione, ſubitò tãdem quaſi ab igne micante lumen refulgens in anima ſeipſum iam alit. Atqui tantùm equidem ſcio, ſcripta à me vel dicta optimè dicta eſſe: malè verò ſcripta, non minimam mihi afferrent moleſtiam. Quòd ſi ſcriptis vel voce proferenda mihi in vulgum viderentur, quidnam pulchrius nobis in vita fieri poſſet, quàm rem valde vtilem hominibus afferre, atque naturam omnibus proferre in lucem? At verò ſtudiũ in his edendis, vtile eſſe non reor hominibus, niſi admodum paucis: qui videlicet exiguis antè veſtigiis demon-

ſtratis,ad inueniendum ipſi ſagaces ſint. Alios verò partim contemptu nefario, partim elata ſpe vanáq; impleuiſſet,quaſi præclara quædam iam didiciſſent Proinde longiora de ipſis dicere cogitaui. Fortè enim ſi hæc dicantur,nonnihil de his quæ dico clarius apparebit.Eſt nanque ratio quędam vera,obſtās illi qui de rebus eiuſmodi quodcunque tandē audet ſcribere, ſæpe quidem à me aliàs dicta, & nunc, vt videtur, dicenda.Vnicuique ipſorum quæ ſunt, tria ſunt,ex quibus ſcientiam fieri neceſſarium ſit.Quartum ipſa ſcientia eſt. Quintum verò oportet ipſum ponere,quo quid eſt cognoſcibile,id eſt quod agnoſci poteſt,atque verè exiſtit horum vnum eſt nomē: ſecundum definitio : tertium exemplum : ſcientia quartū. De vno quouis igitur accipe,cupiens quod modò dictum eſt diſcere, déque omnibus ſimiliter cogita. Circulus aliquid dicitur, cui nomen id eſt, quod modò pronunciabamus. Sequitur autem eius definitio ex nominibus,verbiſq; compoſita. Quod enim ab extremis ad medium æqualiter vndique diſtat,illius definitio eſt, quod rotundi, & circunferentiæ,& circuli nomine deſignamus.Tertium verò eſt,quòd pictus circulus ſit, vel deletus, aut torno factus, vel deſtructus. Quorum nihil ipſe circulus circa quem hæc ſingula ſunt, patitur, vtpote aliud quiddam exiſtens. Quartum autem ſcientia eſt & intellectus,atque vera circa hæc opinio. Hoc rurſus totum tanquam vnum eſt ponendum, quod nec in vocibus, nec in corporum figuris eſt, ſed in mente & intelligentia. Ideóque manifeſtum eſt,aliud eſſe quàm ſit ipſa circuli natura, rurſúſque aliud quàm tria illa quæ ſuprà diximus.Horum verò ex numero, intellectus,cogitatione,ſimilitudinéq; quinto proximus hæret,cætera remotiora ſunt. Idem quoq; de recta & curua dici poteſt figura,atque colore:déque bono & pulchro & iuſto.rurſus de quocunq; corpore,vel manu facto,vel naturali,ſiue igni,ſiue aqua,cęteríſque huiuſmodi, ſimiliter de omni animali, ac de moribus animorum, atq; de actionibus paſſionibúſque vniuerſis. Niſi enim quis in his illa quatuor quodammodo capiat,nunquam ſcientię circa quintum perfectè particeps erit. Proinde illa non minus quale quid ſit vnumquodque, quàm quid ſit aggrediuntur oſtendere,propter rationū debilitatē. Quapropter nemo mentis compos audebit vnquam in idem,atq; id quidē immutabile, referre quæ ab ipſo intelligūtur,atque quatuor illa. Quod vtique patiūtur,quæ deſignantur figuris. Id verò quod nunc dicimus,rurſus eſt conſiderandum. Sanè circulus quilibet horum qui inter hominum manus vel pinguntur vel torno fiunt, planè illi quinto eſt contrarius. Recti nanq. vndequaq; ſit particeps.Ipſum verò circulū affirmamus neque minus neq. magis aliquid, id eſt nihil omnino habere in ſe naturæ cõtrariæ. Præterea nullum horum nominis firmitatē dicimus vllam habere.Nihil enim prohiberet quæ nūc rotunda nominamus,recta vocari,rectáque rotunda: nec firmitatem vllam minorē fore nominibus in contrarium permutatis.Eadem quoque de definitione ratio eſt,cùm ex nominibus verbíſq. cõponatur, nullam omnino habentibus firmitatem. Multipliciter rurſus probari poteſt,nullum horum quatuor certū firmúmq. eſſe.Maximum verò omniū, quod paulò antè dicebamus,quòd cū duo ſint,eſſentia & qualitas, quando animus non quale, ſed quid ſit quærit, niſi quolibet horum quatuor quęſitum prius ab anima tam ratione quàm affectu, denique ſenſibus bene diſcuſſum,per omnia quæ dicūtur atq; oſtēduntur euaſerit, omni ambiguitate & obſcuritate, vt ita dixerim,omnes implebit. In quibus igitur haud quaq̃ conſueti ſumus ob prauā educationē verum perquirere,ſed ſatis nobis factum putamus,ſi appoſita ſimulacra attigerimus,nónne deriſui ſumus inuicem interrogati interrogantibus, potētibus duntaxat quatuor illa diſcutere atq; arguere? Vbi verò neceſſitas cogit quintū oſtēdere, quiuis eorum qui poſſint ſubuertere atq; retractare peruincit: facitq; vt qui exponit ſermonibus vel literis vel diſputationibus,apud audientiū multos nihil eorū quæ vel dicere vel ſcribere aggreditur, intelligere videatur: qua in re ſępe ignoratur nõ animū ſcribētis vel dicētis redargui, ſed naturam potius cuiuſlibet illorum quatuor ſe malè habētis. Traductio verò per omnia illa ſurſum deorſúmq; in vnumquodq; diſcurrēdo perueniens, vix tandem ſcientiā parit intrinſecus. ſcientiam inquā ipſius, quod naturaliter bene affectum eſt in animo ad ipſum quoq; naturaliter benè affecto. At ſiquis malè affectus ſit natura, qualis naturaliter animæ habitus ineſt multis, tū ad illa quæ diſcēda ſunt,tum ad mores, corruptiq; illi ſunt, ne Lynceus quidē,vt eiuſmodi animus videat,efficere poſſet. Atq; vt ſummatim dicam, neq; acumē,neq; memoria faciet vnquā, vt qui rei ipſius qua de agitur,non eſt cognatus, ipſum inſpiciat. Principium etenim in habitibus alienis nõ ſortitur. Quamobrē quicunq; iuſtis aliíſq; quotcunq. ſunt pulchra, non ſunt apti natura atq; cognati, licèt alij ad alia ingenioſi ſimul & memores: rurſus quicunque cognati ſunt quidē,ſed hebetes & memoria parū validi, nūquam ad ſummā diſcēdi veritatē peruenient vel virtutis,vel vitij. Neceſſe enim eſt ea ſimul perdiſcere, & falſum ſimul & verum totius eſſentiæ cū omnia exercitatione atq; longitudine tēporis, quod & ab initio dixi. Poſtquam verò ſingulatim ipſorum nomina, definitiones, viſuſq; & ſenſus agitata inuicē tritáq; fuerint, benigníſq; repræhēſionibus redarguta, & abſq; inuidia interrogando reſpondendóq; diſcuſſa,vix tandē refulget circa vnumquodq; prudentia atq; intelligētia,ad ſummū omnino pro humana facultate cõtendens.Quamobrē permultum abeſt, vt vir ſtudioſus & grauis de iis quę reuera digna ſunt ſtudio,ſcribens hominibus, ſe ſimul & ſua inuidiæ ambiguitatiq; ſubiicere debeat. Vno verò ex his ſermone id intelligere licet:quoniā videlicet qui alicuius ſcripta cernēs,ſiue legūlatorib. in legib. ſiue in quibuſlibet aliis aliorū, animaduertat illa nõ eſſe illa tanq̃ omnino ſeria ſtudioſiſſimè pertractata: ſi quidē ſit ipſe ſtudioſus.iacēt aūt inter ſua in regione pulcherrima.Sin aūt reuera ipſi hæc tāquā ſeria ſtudioſè literis tradita ſunt dij q.dē minimè, ſed homines mentē eripuerūt. Hás vtiq; rationē digreſſionéq; quicūq; ſequitur, planè intelliget,ſiue Dionyſius aliq.d de ſummis & primis naturæ ſcripſerit, ſiue quiuis alius aut minor, aut maior, nihil eū ſyncerū audiuiſſe vel didiciſſe eorū quę ſcripſit,vt mea fert opinio. Alioquin pariter atq; ego ipſa veneratus fuiſſet,neq; auſus fuiſſet vnq̃ temerè edendo abſurditati indecētiæq; ſubiicere. Neq; verò quaſi in memoriæ ſubſidiū illa ſcripſit. Nõ enim hac in re memoriæ diffidendū,ſi id ſemel animo fuerit cõprehēſū.Nā id totū breuiſſimè omniū eſt collectū. Fortè verò turpi quadā ambitione id fecit, vel tanquā ſua hęc aſſerēs,vel tanquā particeps diſciplinæ, qua indignus erat,gloriam quęrēs. Verùm ſi ex vna duntaxat

taxat congregatione id Dionyſio cõtigit,eſſet id forſan concedendum.Sed id nouerit Iupiter (vt inquit Thebanus.) Percurri equidem hæc illi, eo quo dixi modo,ſemélq; tantùm:poſtea verò nunquam. Poſt hæc autem conſiderandū eſt, ſicui cura ſit inuenire eius quod nobis circa illa accidit, cauſam, cur videlicet & ſecundò,& tertiò,& ſępius ea non pertractauimus: Vtrum Dionyſius,ipſis ſemel duntaxat auditis,adeò ſufficienter ea ſe ſcire putauerit ſatíſve norit,ſiue inuenerit ipſe, ſiue ab aliis antè didicerit: an friuola quæ dicebantur exiſtimarit. An fortè præter hæc tertium quiddam acciderit, videlicet vt ipſa haud ſuis æqualia viribus, ſeu maiora cenſuerit, ac reuera ſe minimè idoneū eſſe,qui ſub prudentię virtutíſque diligentia viuat. Si enim friuola exiſtimaſſe dicatur, multis certè teſtibus pro cauſa noſtra cõtrà pugnabitur,qui in rebus eiuſmodi iudicandis longè maiorē quàm Dionyſius autoritatem habeāt. Quod ſi inueniſſe vel didiciſſe,atque ipſa quidē digna videri, quæ liberali animo in diſciplinam adhibeantur, quis non id mirum putet,Dionyſium ſic affectū,horum aliquando ducem & autorem tā facilè cõtempſiſſe? Quo autem pacto cõtempſerit,iam dicā. Profectò non multo pòſt hoc tēpore interpoſito patrimonium Dionis, quod prius eum liberè poſſidere, fructúſque inde percipere permittebat, iam vetuit omninò per eius procuratores attingi, pecuniáſque vt conſueuerant ad ipſum in Peloponneſum mitti, quaſi epiſtolæ illius prorſus oblitus, quam mihi ſcripſerat. Aſſerebat enim res illas non Dionis eſſe,ſed filij: qui cum eſſet ex ſorore nepos, eum ex lege ſub tutela ipſius eſſe. Hæc igitur vſque ad illud tempus acta fuerunt,quæ ego conſiderans iam planè perſpiciebam quo pacto erga philoſophiā Dionyſius fuiſſet affectus,conturbabárq;, vellem nollem.Erat iam tunc ęſtas,& frequenter nauigabatur:videbatúrque mihi non tam de Dionyſio quàm de me ipſo conquerendum, & de his qui me impulerant vt in fretūm Scyllæ tertiò deuenirem,Charybdímq; remetirer pernicioſam. Compulſus itaque ſum Dionyſio dicere, non poſſe me vllo modo apud ſe fore,Dione tam ignominioſè contempto. at ille me conſolabatur,rogabátque vt manerē,non putans ſibi honeſtū, vt ego ipſe tam ſcitò horum à ſe factorum nuncius irem. Cùm verò mihi manendum perſuadere non poſſet, ipſe mihi ſe paraturum ait, qui & quo pacto me deferrent. Ego autem in tranſmiſſoriis nauigiis traiicere cõſtitueram, omnia eſſe perferenda ducēs, ſi abire non prohiberet, quippe cùm manifeſtè ipſe nulla Dionyſium iniuria afficiens, ab eo iniuria affectus fuiſſem. At ille cùm me nullo modo manere velle cognoſceret,quò nauigationem tunc meā impediret,talia machinatus eſt. Poſtridie ſermonem ad me habuit gratioſum,atq; ad perſuadendū accomodatū, Mihi & tibi inquit,Dio Dioníſq; res, quatenus diſcordiæ noſtræ cauſam præbent, tollantur à medio.Dioni equidem tui gratia hæc faciam. Decerno Dionem recipientem ſua habitare in Pelopóneſo,non tanquā exulem, ſed tāquam cui liceat huc proficiſci,quando illi & mihi vobíſque amicis communiter videatur,dummodò nullam mihi iniuriam faciat. Huius autem rei fideiuſſores mihi fore te, familiaréſq; tam tuos quàm Dionis qui hîc habitant. Dionē quoque ipſum id vobis obſeruaturum, ſufficienter cõfirmare debere. Pecunię verò omnes quas ille acceperit,in Peloponneſo,& Athenis deponantur penes quos vobis viſum fuerit. Harū quidem pecuniarū fructus accipiat Dio, ſed ipſas tollere niſi vobis cõcedentibus nequeat. Non enim confido, ſi pecunias ſuſceperit,eū mihi fidē ſeruaturū, cùm nõ paucæ futuræ ſint. Maiorem verò tibi tuiſq; habeo fidem. Conſidera igitur an tibi hæc placeant, manéq; horū gratia hic annum, quo peracto, ſuſceptis his pecuniis abibis.Dionē equidē ſcio magnam tibi gratiā habiturū, cùm hæc ſibi perfeceris. Cum hæc igitur audiuiſſem,quanquā ægrè omnino ferebam, reſpondi tamē hac in re me conſultaturū, tempúſq. reſpondendi in craſtinum ſumpſi. Atque in hoc cõſentientes tum diſceſſimus. Cõſultabā itaque poſthac ipſe mecū valde quidē ambiguus. Occurrebat autem quaſi cõſilij dux prima mihi eiuſmodi ratio. Age vtique, etſi Dionyſi⁹ nihil eorū quæ promittit, ſeruare cogitat, ſi tamen abeunte me, per ſe, ac per amicos probabiliter ad Dionem ſcribat, quæ nunc mihi dicit,ſe quidē obtuliſſe vltrò,me verò noluiſſe,réſq. ſuas penitus neglexiſſe. Prętere his addebā. Si Dionyſius me volēs dimittere, ideóq. nauigium nautáſq. non det: imò facile cunctis ſignificet, velle me ipſo nolente diſcedere, quiſnam me naui aſportare ex ædibus ipſis Dionyſij audeat? Habitabam equidē, ne quid deeſſet incõmodi, in ipſis qui circa ædes erāt,hortis. Vnde ne ianitor quidē niſi iubente Dionyſio egredi permiſiſſet. Quòd ſi annū permanſero,habeo equidem quid Dioni ſignificē, notúmque faciā in quibus ſim cõſtitutus, quídve agā, Ac ſi Dionyſius nõnihil eorum quæ promittit, ſeruauerit,opera tolerātiáque hęc mea nõ omnino deridenda videbitur.patrimonium nanque Dionis nõ pauciorum quàm centū talentorū,ſiquis rectè æſtimare velit,cēſebitur. At verò ſi ita res cadāt, vt eas veriſimile eſt caſuras,quò me vertā neſcio. Veruntamen fortè neceſſe eſt me annū adhuc tolerantem machinationes Dionyſij re ipſa pro viribus redarguere. Cùm ita mecū conſultauiſſem, ſequēti mox die ad Dionyſiū retuli, videri mihi manēdum. Sed addidi, ne exiſtimaret me poſſe apud Dionē prorſus omnia quaſi dominum ideóque operæpretium eſſe,vt vnà mecū ipſe quoque ad eū ſcriberet,ſignificans hæc noſtra conſilia,atque interrogaus vtrum ſibi hæc ſatisfaciāt,nécne,& nunquid aliud præterea quiddam exigat. Idque quamprimum, inquam ſcribendum eſſe. Interea verò nihil in re Dionis ab eo noui eſſe tentandum. Hæc inter nos dicta ſunt. In his fermè, vt nunc dico,conuenimus. Poſt hæc autem cùm iam naues abiiſſent,ideóque nulla mihi foret vlterius nauigandi facultas, Dionyſius quaſi nonnihil prætermiſſi reminiſcens, Dimidia,inquit, bonorū Dionis pars filio iure manere debet: dimidia verò ad Dionem mitti.hāc ergo vendi curabo. Qua vendita, pecuniarū dimidiū tibi tradā, quod ad Dionem perferatur: reliqua verò pars penes nos pro filio reſeruabitur: ita enim ius ipſum exigit. His ergo illius dictis perculſus, ridiculū putaui amplius ea de re loqui. Dixi tamen decere nos expectare à Dione reſpõſum, atque rurſus hæc ipſa ad illum reſcribere. At ille pòſt nimis audacter patrimonium Dionis totū quanto libuit pretio,& quo pacto hæc & quibus placuit vendidit. Mihi verò ea de re verbum omnino fecit nullum. at ego ſimiliter poſthac de re Dionis nihil vlterius locutus ſum, quippe cū nihil amplius me profecturū exiſtimarē. Hactenus hac ratione & philoſophiæ & amicis auxilium præſtiti. Poſt hæc autem ego & Dionyſius ita viximus, vt ego quidē ſemper extrà ſpectarē,quaſi auis quæ-

dam

dam alicundè cupiens euolare: ille vero aſſiduè, quo pacto me cohiberet, machinaretur, de rebus quidẽ Dionis concedẽs nihil. In cæteris tamẽ negotiis per vniuerſam Siciliã amicos inter nos eſſe fatebamur. Eo autem tẽpore Dionyſius veteranis militibus ſtipendia minuere tentauit, præter parentis conſuetudinem. Irati verò milites in vnũ conuenerũt, neq; id ſe toleraturos comminabantur. Itaq; ille clauſis arcis ipſius portis, coercere illos conabatur. At illi repentè aduentarunt ad mœnia, clamorẽ quendã barbarũ ac bellicum attollẽtes. Quo metu cõterritus Dionyſius, cuncta illis conſueta, atq; etiã plura cetratis tũc collectis conceſſit. Rumor aũt fuit Heraclidẽ tumultus omnis cauſam extitiſſe. Quod Heraclides quidẽ perſentiens, clàm fugam arripuit. Dionyſius verò cũ illum capere affectaret, neq; inueniret, Theodotem ad ſe in hortos accerſiuit. Eram fortè tunc & ipſe in hortis perambulãs. Cætera quidẽ, quæ inter illos tractata ſunt, neq; ſcio, neque dum colloquerentur, audiui: ſed quæ me præſente dixit Dionyſio Theodotes & noui & memini. O Plato, ait, Dionyſio ſua deo huic, ſi Heraclidem huc adducere potero, criminibus in ſe delatis reſponſurũ: ac ſi nolit deinde cum Dionyſius in Sicilia permanere, ſaltem permittat vxorem filiúmque ſuſcipere, atq; in Peloponneſum abire, ibique habitare, nihil ibi molientẽ contra Dionyſium, & bonorũ quæ hic poſſidet, fructus percipientem. Hac ergo fiducia Heraclidem iam vocaui, atq; iterũ vocabo. Siue igitur ex prima vocatione, ſiue ex ſecunda huc ille venerit, cum Dionyſio cõſtituebam, rogabámque nequid mali Heraclidi inferatur vel extra vrbem, vel in vrbe, tantũ verò ſi videbitur, extra fines mittatur, donec aliter Dionyſio videatur. Hæc inquit Dionyſi. concediſne? Concedo, reſpondit, neq; etiam ſiquando in ædibus tuis appareat, aliud quicquam mali eſſe paſſurum. Sequẽti verò die in ipſo crepuſculo Eurybius & Theodotes ad me mirum in modum perterriti conuolarunt. Confeſtimq; Theodotes, ô Plato, inquit, affuiſti heri cõditionibus in quibus de Heraclide Dionyſius mecum tecúmq; conuenit. Affui, inquam. At ille, nunc, inquit, diſcurrunt ſatellites ad Heraclidem cõpræhẽdendum, atque periculũ eſt, ne ille propè alicubi ſit. Sequere ergo nobiſcũ omni ſtudio ad Dionyſium. Iuimus itaq; : & ingreſſi ad ipſum, illi quidem ſilentio ſtabant lacrymãtes: ego verò, inquam, verẽtur hi Dionyſi, ne tu contrà quã heri cõuenerit, noui quicquam agas aduerſus Heraclidem. Nam videtur ille mihi propè alicubi diuertiſſe, manifeſtéque adeſſe. Dionyſius verò his auditis exarſit in iras, in varióſque ſe mutauit colores, quales ira conſueuit afferre. Et Theodotes ad pedes eius procumbens, manu eius appræhenſa multis cum lacrymis ne quid tale faceret, deprecabatur. Tunc ego ſermonũ ſuſcipiẽs eum conſolaturus, Bono ſis animo, inquam, ô Theodotes. Non enim aliter facere audebit Dionyſius quàm heri promiſit. At Dionyſius tyrannico nimium vultu me intuitus, Tibi, inquit, promiſi nihil, ſiue magnum ſiue prauum. Imò verò per deos, inquam, promiſiſti non facturum te hæc ipſa, quæ nũc ne facias hic deprecatur. Hæc ego locutus egredior. Poſt hæc Dionyſius quidem Heraclidem capere conabatur. Theodotes autem hæc per nuncios illi ſignificans, vt fugam arriperet admonuit. Miſerat quidem Dionyſius, & Tiſiam quendam cum ſatellitibus, iubens paſſim Heraclidem inſequi. Sed ille, vt fertur, anticipans, & paruo quodam diei ſpatio ſatellites deuitans, intra Carthaginenſiũ fines ſe recepit. Iam verò ex inimicitiis contra me exortis probabilẽ Dionyſius occaſionem, quam per inſidias diu captauerat, ne videlicet ad Dionem pecuniæ mitterentur, aſſecutus fuiſſe videtur. Ac primum quidem ex arce me emiſi, occaſionem præferens, quòd mulieres ſacra decem dierum in quibus habitabam hortis eſſent facturæ. Itaque me per eos dies extra arcem apud Archedemũ manere iuſſit. Interea Theodotes me ad ſe vocans, multa circa ea quæ tunc facta erant, de Dionyſio conqueſtus eſt. Dionyſius verò cùm audiuiſſet ad Theodotẽ me profectum fuiſſe, nactus & hanc rurſus occaſionem contra me odij priori ſimilem, miſit ad me, qui percõtaretur, nunquid apud Theodotem vocatus aliquãdo fuiſſem. Atque ego adfuiſſe liberè confeſſus ſum. Tunc ille: Iuſſit ergo, inquit, Dionyſius me tibi edicere, non rectè facere te, quòd Dionẽ, Dioniſq; amicos pluris quàm ipſum ſemper æſtimes. Hæc dicta fuerũt. Nec vnquam poſteà me in ſuas ædes vocauit, quaſi manifeſtè Theodotis, Heraclidiſq; amicum, ſibi verò inimicũ, ac propterea infenſum, quòd res Dionis iam omnino periiſſent. Habitabã deinde extra arcem inter milites mercede conductos. Adeuntes verò me, & alij quidam, & miniſtrorũ aliqui Athenienſes patria, ſignificarũt calumnias aduerſus me inter milites fuiſſe diffuſas. Præterea quoſdam cõminatos eſſe, ſicubi me nanciſcãtur interfecturos. Excogito igitur euaſionẽ eiuſmodi. Mitto Tarentum ad Architam, alióſq; amicos, ſignificãs in quo eſſem diſcrimine conſtitutus. Illi verò occaſionem quandam legationis patriæ nomine excogitantes, Lamiſcum eorum vnum, vnà cum naui ordinis triginta remorũ mittunt. Qui veniẽs ad Dyonyſium, rogauit vt me omnino pro voluntate mea ſaluum abire permitteret. Ille autẽ aſſenſus me dimiſit, cõmeatum præbens. Pecunias verò Dionis neq; ego petij, neque quiſquam dedit. Poſthæc cùm in Peloponneſum perueniſſem, ibíq; offendiſtem Dionem ludos ſpectantem Olymmpiacos, quę facta fuerant, enarraui. Ille verò Iouẽ teſtatus, ſtatim mihi meiſq; propinquis & amicis edixit, ſe pœnas à Dionyſio exacturum, tum quòd me illic hoſpitem decepiſſet: ſic enim ille & dixit & ſenſit: tum quòd ipſum iniuſtè admodum expuliſſet. Hæc ego audiens, ſuaſi vt ad hæc ſi videretur, amicos alios cõuocaret. Me autem quoniam & ſua & aliorum opera quaſi violenta impuliſſent in Dionyſij familiaritatẽ, habitationis, victus, ſacrorum cõmunione aſtrictum, putarẽt quaſi medium quendam, æquúmq; vtrinq; eſſe debere: præſertim cùm iamdiu multis apud Dionyſium me calumniantibus quaſi tecum ipſi tyrannidíq; eius inſidiãtem, ipſe non occiderit quidem, ſed reueritus ſit. Ad hæc ætatem meam rebus bellicis ineptam eſſe addidit, ſimúlq; medium quẽdam me inter eos eſſe, ſiquando conciliatore quodam opus ſit, qui reſarcire optantibus amicitiã poſſit, Quamdiu verò odiis certabitis, ad hæc adiutores alios aduocabitis. Hæc ego inquam, peroſus errorem fortunámq; in Sicilia mihi aduerſam. Quoniam verò illi rationibus meis nõ obtemperauerunt, omnium quæ ſequuta ſunt malorum ipſimet ſibi cauſam præbuere. Profectò ſi Dionyſius res Dioni ſuas reſtituiſſet, vel potius ſi omnino placatus fuiſſet, nihil prout cõditio fert humana, accidiſſet aduerſi. Nam Dionem quidem pro voluntate mea, & conſilio, & autoritate facilè cõtinuiſſem. Contrà verò nunc, in ſe

inuicem impetũ facientes, omnia calamitatibus impleuere. Dio certè eandem habebat volũtatem, quã ego dicerem & mihi aliis quicũque moderati ſunt, amicorũ, vel ciuitatis optetur, quo in ipſis honorib' & potentiis quis conſtitutus præſertim in maximis, ſe & ſuos & patriã beneficiis iuſtis afficiat. Neq; verò id ſit, ſiquis ad id duntaxat incumbat, vt diuitiis ſe amicóſq;, & vt libet ærariũ expleat, per inſidias crudeliúmq; coniurationes, ipſe pauper videlicet impotens ſe continere, ſed præ animi anguſtia voluptatibus ſuccumbens: præterea opulentos homines tanquam inimicos decernens trucidet, rapiátque pecunias, atque interea à ſociis, familiaribúſq; edicat, ſibi quidẽ in his cũ ſit egenus, ſuccẽſendum nõ eſſe. Eodem modo ſiquis ſimiliter ciuitatẽ ſuã beneficiis afficiens honoretur ab ipſa, dum multis res paucorum ciuium per ſua decreta diſtribuit, vel ſiquis magnæ præſidens ciuitati, pluribus minoribúſq; ciuitatibus imperanti, pecunias minorũ ciuitatum iniuſtũ attribuat ſuæ. Hoc enim pacto, neque Dio, neq; alius vnquã ſponte ſua ad potentiã progreditur pernicioſam & ſibi & poſteris perpetuò futurã. Prudens verò ad conſtituendã accedit Rempublicã legéſq; cõdendas iuſtiſſimas atque optimas, & id quidẽ abſq. cædib', expulſionibúſq; ciuilibus. Quæ modò cùm ageret Dio, conſtituens pati impias iniurias potius quàm facere, cauẽs quoq; ne ipſe pateretur, cecidit tamen, cũ iam ad ſummum ſuperandorum hoſtium petueniſſet. Neq; mirũ alicui quod accidit Dioni, videri debet. Piũ enim virũ, tẽperatúmq; & prudentẽ, omnino quidẽ in rebus eiuſmodi impij nunquam fallunt. Sed neque mirandũ eſt ſi idẽ, quod probo gubernatori forſan acciderit, quem futura tempeſtas haud admodũ latet, ſed inſueta, & idcirco improuiſa tempeſtatũ magnitudo latere poteſt, ac vi latendo ſubmergere. Hoc vtiq; modo Dionem ſors aliquantum fefelliſſe videtur. Quòd enim mali eſſent, eum non latebat: quáuis quã profũda eſſet in eis inſcitia & iniquitas voracitáſq;, latuerit. Qua quidem in re deceptus occubuit, Siciliam incredibili dolori ſubiiciens. Quæ igitur poſt hæc quæ narrata ſunt vobis cõſulo, hactenus quidem dicta ſint. Quibus autem de cauſis ipſis in Siciliam quaſi cõpulſis redierim, oſtẽdere arbitratus ſum oportere, ne cui reuerſio mea abſurda, ac præter rationẽ ſuſcepta videretur. Quamobrem ſi cui quæ nunc dixi probabiliora viſa ſunt, ac ſufficientes extitiſſe occaſiones cur ita fieret, videntur, ſatis quidẽ ſufficiẽtérq; iam fuiſſe dictum putabimus.

PLATO DIONIS PROPINQVIS ET AMICIS. EPISTOLA VIII.

QVA potiſſimùm viuẽdi ratione proſperè ſuccedant res, reuera conabor vobis pro viribus enarrare. Spero autem non vobis ſolũ, quę in rem veſtrã ſint, me conſulturum, quanquã vobis quidẽ maximè, ſed & omnibus qui ſunt Siracuſis, tertiò inimicis etiã veſtris & hoſtibus, præterquã ſiquis illorũ impio ſeipſum ſcelere polluit. Hæc enim inſanabilia ſunt, neque expiare vnquam hæc quiſquã poſſet. Cõſiderare verò quod in præſentia dicam. omnẽ iam veſtrum circa Siciliã omnem diſſoluta tyrãnide conſilium atq; ſtudiũ in his verſatur. Nempe alij quidem affectãt tyrannidẽ iterum ſuſcitare, alij tyrannidis memoriam omnem prorſus extinguere: conſilium verò in eiuſmodi rebus apud multos rectum vbiq; videri ſolet, ſi ita res conſtituantur, vt hoſtes quàm maximis afficiantur malis, amicis autem beneficij plurimũ afferatur. At verò nequaquam id facile eſt, vt qui multa aliis inferunt damna, ipſi nõ multa viciſſim ab aliis patiantur. Neq; nunc opus eſt horũ exempla lõgè perquirere, quippe cùm quæ nuper in Sicilia acciderunt, ſatis exemplo nobis eſſe poſſint. Cũcta enim ſic accidiſſe videntur, dum alij quidẽ inferre mala, alij verò repellere & vlciſci cõtenderent. In quibus enarrandis idonei aliorũ magiſtri vbiq; eſſe poteſtis. vt in his percipiendis nulla fermè ſit difficultas. Quæ verò aut cũctis tã inimicis quàm amicis vtilia ſint, aut ſaltem quæ his quàm minimũ obſint, hæc certè ipſa nec facile eſt perſpicere, neque poſtquàm perſpexeris, ad votũ perficere. Hæc igitur conſultatio atq; inquiſitio voto perſimilis eſſe videtur. Ideóq; ſis nobis ipſa omnino tanquã votum & deprecatio quædã. Omnibus enim in rebus & dicendis & cogitandis principiũ ſemper à diis eſt ſumendum. Votũ vtiq; eiuſmodi abſolutũ talem nobis ſignificabit rationẽ, quæ vobis ſimul, inimiciſq; conducat. Principio ex quo tẽpore bellũ in Sicilia geſtũ eſt, familia vna cõtinuè dominata eſt: quã publicis rebus præfecerũt veſtri maiores, in ſummo tunc periculo conſtituti, cùm à Carthaginẽſibus premerentur, veniſſetq; res in extremũ diſcrimẽ, ne Sicilia quæ excolebatur à Græcis, iã à Barbaris euerteretur atq; deuaſtaretur. Tũc igitur Dionyſiũ quidẽ elegerũt, vt iuuenẽ bello ſtrenuũ, qui rebus bellicis cõuenientibus ſibi præeſſet: Hipparinũ verò vtpote ſeniorem, conſilio res moderari voluerunt. Atq; pro totius Siciliæ ſalute abſolutã his autoritatẽ cõcedens, tyrannos, vt fertur, appellauerũt. Proinde ſiquis fortunã quandã diuinã, deúmq;, ſiue eorũ quib. cõmiſſa res eſt, virtutem, ſiue vtrunq; vnà cum tẽporis illius ciuibus, ſalutis illius cauſam extitiſſe cẽſeat: eſto id quidem, vt quiſq; exiſtimat. Salus certè hoc pacto tunc illis parta eſt. Quamobrẽ cũ ita ſe illi geſſiſent, iuſtũ erat gratiam ab illis qui ſeruati erant, referri. Siquid autẽ poſteà mali tyrãnis ipſa munere ciuitatis abutens patrauit, habet qnidẽ ſceleris ſui iudices, vndẽ & pœnas perſoluat. Sed quænam illis pœnæ ob eã quę acta ſunt, neceſſarò rectéq; admoueri poſſunt? Si enim vel vos illorum vim facile propulſare poſſẽtis, & abſq; magnis periculis laboribúſq; id facere, vel illi ſe dominationẽ facile recepturos arbitrarentur, haud ſanè poſſemus ea vobis quæ nunc dicturi ſumus conſulere. Nunc verò vtriq; conſiderare atq; meminiſſe debetis; quoties iam alterutri in ſpem propè certam perueniſtis cõſequendi quod optabatis, paulum deeſſe opinantes ad cuncta pro arbitrio conſequenda. Idipſum tamen paulũ ingẽtium plurimorúmq; malorum vbiq; cauſa extitit, neque dum peruenit ad terminum, ſed cõtinuata quadam ſucceſſione, inueterati iã mali apparenti termino principium ſuboritur nouum. Eiuſmodi verò circuitus rerúmq; viciſſitudo perditura videtur tyrannicum genus ſimul atq; populare: & quantũ veriſimili ratione formidandũ portenditur, tota Sicilia in Græcæ linguæ obliuionem lapſura videtur, ad Phœnicum Opicorùmque poteſtatẽ, dominationémque tranſlata. Quamobrẽ contra hæc Græci omnes omni prouidentia remedium afferre debent. Siquis igitur rectiùs meliúſque cõſiliũ eo quod à me dicetur, adducat in medium, meritò Græcorũ amator cognominabitur. Quæ verò quodammodo ſit mea ſententia, conabor nunc liberè prorſus communi

ratione,legéq; fretus exponere. Ego igitur perſoná mihi arbitri aſſumens,quemadmodú iamdiu cóſueui,tam exercenti quàm perferenti tyrannidem communiter conſulam.Atq; in primis omni tyranno,vt appellationé hanc,réq; ipſam fugiat,atque in regnú, ſi poteſt fieri,transferat. Fieri verò poſſe, Lycurgus vir bonus & ſapiens re demóſtrauit.Is enim cùm videret genus propriú Argis,& apud Meſſenios ex regno in tyránidem iam tranſlatú,ideóq; hos populos vtroſque tá ſeipſos perdentes quàm ciuitates vtrinq; vtraſque,timens patrię ſimul & generi,remediú adhibuit,ſenatum procreans, Ephororúmq; magiſtratum in regni ſalutem.Quapropter tot iam ſecula ſeruatur cum gloria,poſtquam videlicet lex autoritatis plena hominum regina facta eſt,nó autem homines legum tyranni.Ad hoc ipſum in pręſentia ratio mea omnes homines cohortatur, ſuadens his qui tyrannidem affectát,declinare ac fugere indefeſſo quodá ſtudio eiuſmodi famelicorú ſtultorúmque hominú felicitaté,atque ad regiá gubernationis formá pro viribus ſe transferre,legibúſque regiis obtéperare, maximos honores ab hominibus,legibúſq; volentibus quandoque reportaturis.Qui verò omnibus viuendi præferunt libertaté,iugum verò ſeruile fugiunt tanquam malú,ij caueant moneo,ne inſatiabili importunæ libertatis auiditate in maiorú ſuorum incidant morbú. Quem quidé illi propterea paſſi ſunt,quòd nulli parere volentes,libertatis amore intemperáter abuſi ſunt.Qui enim ante Dionyſiú & Hipparinum in Sicilia gubernabant,beatè ſibi viuere videbantur, libidinibus diſſoluti,principibus imperantes. Præterea decem ante Dionyſiú exercitus duces lapidibꝰ obruerunt,neminé ſecundú legé iudicátes,quò nulli ſubeſſent homini iuſtè iudicáti,aut dominanti legi, ſed omnino in ſingulis liberi forent.Qua quidé cauſa illis tyránides exortæ ſunt.Seruitus enim ac libertas,ſi modú excedat,vtraq; mala eſt : ſi modú obſeruet,vtraque bona.Moderata quidé ſeruitus eſt, quæ deo exhibetur:immoderata verò . quæ hominibus. Deus quidem hominibus téperatis lex eſt:intéperatis verò voluptas. Cùm igitur hæc ita natura ſe habeant,quæ conſulo,mando Dionis amicis ea Syracuſanis omnibus promulganda, ex communi Dionis meáq. ſententia.Equidé vobis exponam quæ ille adhuc ſpirans locutus eſt.Quam igitur rationé,quæret quiſpiá,circa præſentia nobis Dionis conſiliú affert? hanc verò omniú primá núc accipite. Principio leges tales ſint,quæ non ad opes pecuniáſq. cóparádas neq. ad libidines mètes cóuertant:ſed cum tria ſint, anima,corpus,pecunia,virtuté animi maximè anteponant : Secundo verò loco virtuté corporis virtuti animi ſeruientem:Tertio vltimóq. gradu pecuniarú pretium collocent, animo,corporique miniſtrás. Quæcunq. lex hęc efficit,recta eſt,reuera beatitudinem vtentibus afferens.Locupletes verò beatos appellare,ſermo amés eſt,& infelix,mulieribus pueríſque conueniens,atq. eos qui id credút,tales efficiés. Quod auté ego nunc ad vera vos bona cohortor, ſi quæ modò dixi de legibus,deguſtetis,opere ipſo intelligetis,quæ quidé examinatio in cunctis veriſſima eſſe videtur.Receptis verò huiuſmodi legibus, cùm Sicilia in diſcrimine poſita ſit, neq. ſufficienter vos ſuperetis:neq. rurſus admodú ſuperemini,iuſtú fortè atq; vtile vobis omnibus erit medium incidere,tú vobis dominationis acerbitatem fugiétibus, tú aliis dominationé adipiſci deſideranribus,Quorú maiores olim, quod maximi faciendú eſt, Græcos à Barbaris ſeruauerút, adeò vt in præſentia liceat de Repub. cóſultare. Alioquin ſi túc perditæ res fuiſſent, neq; núc de his loqui liceret,neq; ſpes vlla ſupereſſet.Nunc igitur aliis quidé libertas ſit cú regia poteſtate : aliis aút poteſtas regno ſubiecta legibus dominantibus non aliis tantú ciuibus, ſed ipſis etiá regibus,ſiquid egerint cótra leges. In his auté omnibus mente à dolis aliena atq; ſana, diis iuuantibus reges create.Primú quidé filiú meú duplici gratia,mei ſcilicet gratia atq; aui ſui. Ille enim illo túc tépore patriá à Barbaris liberauit:ego verò iam bis à tyrannis. Quorú quidé teſtes mihi vos ipſi eſtis. Secúdú verò regé create eum,qui idé quod & pater meus nomé habet, Dionyſij inquá filiú. Atq; id facite præſentis eius in patriam officij memores,piorúmq; eius morum , qui patre tyranno natus, patriá ſponte liberare aggreditur , pro breuiſſima iniuſtáque tyrannide gloriá ſibi generiq; cóparans ſempiternam.Tertium deniq; ad regnum Syracuſanú inuitare oportet volenté ciuitate volente Dionyſiú Dionyſij filiú , núc exercitus hoſtiú ducé.Si velit inquá regiæ dignitatis forma cótentus viuere , timés videlicet fortunæ vices,& patriam miſeratus,ſacráq; & ſepulchra maiorum , ne cótentione prorſus omnia perdat , Barbaris ex patriæ infelicitate gratificans. Hos verò tres reges , ſiue illis autoritaté eandé quá Lacedæmonij reges habent,dederitis,ſiue quid ademeritis,cómuni conſenſu conſtituetis tali quodam pacto,vt prius dictú eſt,atq; iterú nunc audite.Si Dionyſij & Hipparini genus voluerit pro Sicilię ſalute his calamitatibus quæ nunc vrgent,finem imponere,honores ſibi totique familiæ comparantes non ad præſens ſolùm,ſed in poſterú,hac inquá conditione,quemadmodum & prius dictú eſt,ad regnú vocate: & legatos quos ipſi velint cócordiæ gratia cú publica autoritate deligite,ſiue ex veſtris ciuibus, ſiue ex alienis,ſiue ex vtriſq; tótque præterea quot illi cóceſſerint.Qui cómuni ſententia leges códant,atq; Rempublicá ita cóſtituant , vt in ea reges eſſe deceat ſacrorú dominos,aliarúmque rerú quaſcúq; decet his concedi,quorú beneficia in patriá extant. Proinde belli paciſque arbitrium habeant, cuſtodes ipſi legú creati numero quinque & triginta,vnà cum populo atque ſenatu. Iudicia verò diſtincta ſint alia aliorú. Mortis quidé atq; exilij autoritas ſit penes triginta & quinque viros,& præter eos,penes alios quoſdá iudices ex illis electos, qui magiſtratibus ꝓximè perfuncti ſunt , ita vt vnus ex quolibet magiſtratu eligatur,qui optimus iuſtiſſimúſq; appareat. Hi ſequéti anno de morte , & carcere,& exilio ſentétiam ferant.Regi verò his iudiciis intereſſe non liceat , vtpote ſacerdoti , qué in ferenda necis, carceris,exilij ſententia cótaminari nefas ſit. Hæc equidé & dum viueré cogitabam,& nunc etiá cogito facienda atq; tunc, cùm inimicos ſuperauiſſem vnà vobiſcú , niſi externi,furiæq; obſtitiſſent, vt decreueram,conſtituiſſem. Proinde ſi ad votú res proceſſiſſent , colonis reliquá Siciliam repleuiſſem. Barbaris quidem ex his locis quæ nunc occupant expulſis,præterquá ſiqui eorum pro cómuni libertate cótra tyrannidé pugnauerunt. Priores auté Græcorum locorú colonos in antiquas,patriáſque ſedes reſtituiſſem. Hæc igitur eadem in præſentia omnibus conſulo cómuni conſilio deliberare & agere , atq; ad hæc agenda omnes cohortari:quòd ſiqui diſſenſerint, eos communi ſentétia hoſtes exiſtimare.Neq; verò hæc talia ſunt,vt fieri nequeát.Quæ enim in duorú animis

conſiſtunt,atq; his qui conſultando perquirút optima,mox faciléq; occurrunt : ea qui impoſſibilia iudicat,non rectè ſentit. Dico autem duos, Hipparini ſcilicet Dionyſij filij atque inſuper mei filij animos. Arbitror enim ſi hi conſenſerint, alios quoq; Syracuſanos,& omnes quibus patria curæ eſt, conſenſuros.Sed diis omnibus honores cú precibus offerentes , & aliis præterea quibuſcunq; vnà cú diis vouere decet,præterea cohortantes inuitantéſq; amicos & inimicos omnino atque benignè,nolite prius deſiſtere,quam ea quæ à nobis dicta ſunt,quaſi diuina ſomnia vigilantibus ſuperuenientia, perſpicua quidem atque felicia perfectiſſimè impleatis.

PLATO ARCHITÆ TARENTINO BENE AGERE. EPISTOLA IX.

VENERVNT ad nos Archippus & Philonides,ferentes epiſtolá quá eis dederas, ac de rebus tuis quæ oportuit núciátes. Publica quidem ciuitatis negotia abſq; difficultate peregerunt. Neq; enim admodú laborioſa erant. Te verò narrauerút per moleſtè ferre, quod à publicis ciuitatis occupationibus liberari nó valeas.Quòd verò dulciſſimú vitæ genus ſit agere ſua,præſertim ſi quis talia elegerit facienda, qualia tu,omnibus ferme eſt manifeſtú.Sed illud quoq;
Hic Cicero offic. 1 & de finibus 2. te conſiderare oportet , nullú noſtrú ſibi ſoli natum eſſe,ſed ortus noſtri parté ſibi patriá vendicare, parté parentes,parté amicos.Multa inſuper pro temporú diuerſitate nobis accidere,quibus vita noſtra occupata eſt.Vocante igitur te patria ipſa ad rémpublicá gubernandá,abſurdú forſan eſſet nó parere:præſertim cùm ſimul accídat,vt aditus prauis hominibus relinquatur,qui nulla ipſius quod optimú eſt ratione proficiſcuntur ad publica. De his ergo iam ſatis. Echecratis autem curam habemus in præſentia,habebimúſque in poſterum,& tui gratia,& patris eius Phrynionis,& propter ipſum adoleſcentem.

PLATO ARISTODORO BENE AGERE. EPISTOLA X.

AVDIO te ante alios & núc familiaré eſſe Dionis, & per omne tempus ſapiétiam morum ad philoſophiam ſpectantiú in primis exercuiſſe. Nam firmitaté,fidé, ſynceritatem,verá eſſe philoſophiá exiſtimo. Alias verò,& ad alia declinantes ſcientias & facultates ſi quis ornaméta dixerit,rectè,vt arbitror, appellabit. Sed vale iá,& in præſentibus his perſeuera moribus.

PLATO LAODAMANTI BENE AGERE. EPISTOLA XI.

SCRIPSIMVS etiam prius ad te , referte multum ad ea quę dicis omnia,vt Athenas ipſe proficiſcaris.Quoniam verò ais te venire nó poſſe,ſecúdo id loco foret, ſi vel ego, vel Socrates , vt per tuas literas ſignificaſti,iſtuc nos conferre poſſemus. Verú Socrates quidé hoc tépore morbo ſtrágurię impeditur.Mihi vero iſtuc proficiſcenti dedecus foret,ſi illa quorú gratia me vocas,nequaquam perficerétur. Quæ quidé perfici poſſe haud admodú ſpero. Siquis auté ea omnia referre aggrediatur quorum de cauſa ita diffidá, prolixa opus erit epiſtola. Præterea per ætatem nó ſatis corpore valeo ad iter cóficiédú,periculáque mari terráq; obeunda, quali iter ſolet obiicere,præſertim verò hoc tépore omnia iter agentibus plena periculis ſunt.Cóſulere tamen tibi & vrbiú códitoribus poſſum,quod nunc me referente,inquit Heſiodus, putare quidem fallax quiddam eſſe,difficilè verò intelligere. Nam ſi putant aliqui legum quarúlibet poſitione ciuitaté bene quádoq; cóſtitui poſſe, niſi ſit aliquis cum autoritate præſidens ciuitati, quotidianæ omnium vitæ moderator, adeò vt ſit téperata & fortis tam in ſeruis quàm in liberis, non rectè putant. Proinde ſi ſint iam apud vos viri hac poteſtate digni,id fieri poſſet.Sin autem ad diſciplinam opus ſit aliquo,neq; qui doceat,neque qui doceatur, vt opinor, apud vos ſunt: reliquum eſt,deos precari.Nam ferè quæ ante hoc tempus fuerunt ciuitates , ſic ab initio conſtitutæ ſunt, ac poſteà bene excultæ pro oportunitate magnarum rerum , tum bello , tum pace, quando in eiuſmodi temporibus vir clarus & probus magnam adeptus fuerit poteſtatem. Prius autem ipſa promptiſſimè curare oportet atq; néceſſe eſt:conſiderare tamen ea qualia dico , neque temerè aggredi quaſi leuiter peragantur: cogitare verò quid cómodè fieri poſſit. Vale felix.

PLATO ARCHITÆ TARENTINO BENE AGERE EPIST. XII.

MIRVM eſt quanta cú voluptáte cómétaria abs te miſſa accepimus,eorúq; autoris ingenio delectati ſumus. Viſus quidem nobis eſt vir ipſe dignus maioribꝰ illis iam olim ſuis. Ferunt virorum decé millia fuiſſe, qui ex omni Troianorum, qui ſub Laomedonte ſeceſſere numero , vt fabula tradit , præſtantiſſimi fuerunt.Cómentaria verò quę tu per literas à me petis,nondum abſoluta ſunt. Qualicunq; tamen ſunt, ad te miſi. De cuſtodia verò idem ſentimus ambo. Quapropter nihil cohortatione opus eſſe videtur.

PLATO DIONISIO SYRACVSARVM TYRANNO BENE AGERE.

Notatur in Græco tanquam adulterina , nec conuerſa eſt à Mar. Ficino,ſed ab eo qui huius fuit nouæ autor editionis.

EPISTOLA XIII.

PRINCIPIVM tibi epiſtolę ſimúlq; nota, q; hęc epiſtola mea ſit,hęc eſto. Quum aliquando Locres iuuenes cóuiuio excepiſſes,& procul à me diſcúberes ſurrexiſti, ad méque acceſſiſti,comiter humanitérque dixiſti lepidú quiddá,vt & mihi,& ei , qui proximè aſſidebat , viſum eſt. Erat auté ille ex numero vrbanorú,qui tum, Maioré ſanè in modú,inquit, ó Dionyſi , à Platone ad conſequédá ſapientiá adiuuaris. cui tu,Multis etiá aliis in rebus,reſpondiſti. Etenim ex quo eú accerſiri iuſſi,repentè ob eam ipſam cauſam quòd eum accerſiuerá , emolumentú percepi. Itaq; conſeruandum eſt hoc , vt hæc mutua vtilitas perpetuò magis,ac magis inter nos augeſcat. Nunc igitur hoc ipſum ſtudens,mitto tibi vnú ex Pytagoreis, & diuiſionum peritú , & virum præterea cuius opera quemadmodú tum nobis viſum eſt, & tu , & Architas (ſi ipſe ad te venit) vt poſſitis. Ei nomen eſt,Helicon:patria Cyzicus , Eudoxi diſcipulus, cuius omni doctrina eleganter eſt inſtitutus : & vſus ei interceſſit cum quodam Iſocratis diſcipulorum, & Polyxeno Bryſonis ſodali : quódque præterea rarum eſt , comis eſt , & affabilis , neque malitioſus videtur , ſed leuis potius , & candidus eſſe iudicaretur. Cautè autem & timidè loquor , quippe de homine ſententiam expones , non de perdito animali , ſed quod mutari corrigique facilè poſſit, niſi in quibuſdam, iiſque perpaucis. Præterea id veritus ac diffidens conſiderabam cum illo collo-

quens, ac de ciuibus ipſius percontabar, neq; quiſquam mihi quicquam de eo mali retulit. Conſiderato autem tu quoq;, & cautionem adhibeto. Accuratiſſiméq; quoties tibi otium erit, ex illo diſcito, aliiſq; in rebus philoſophator: ſin minus, doceto, quempiam, vt per otium diſcés, melior & illuſtrior euadas neque à me iuuari deſinas. Atque hæc quidé hactenus. Quod autem per literas à me vt Apollinem tibi mitterem, petiiſti, id feci: Leptines tibi cú deportandum ſuſcepit, factus eſt ab erudito & præſtanti artifice, cui nomen eſt Leochaes. Erat apud eum opus aliud, ſanè egregium, vt videbatur. Quare illud ſum mercatus, vt vxori tuæ dono darem, quoniam mei curá ſuſcepit, & proſpera & aduerſa valetudine vtentis, quemadmodum vtroq; noſtrûm dignú erat. Quare illi dabis, niſi quid aliud videtur. Mitto etiam pueris vini dulcis duodecim amphoras, mellis duas. Caricæ iam recóditæ fuerant, priuſquam venerimus. Myrtorum bacchæ conditæ putruerunt, ſed poſthac diligentius curabimus. De plantis, Leptines tibi narrabit. Pecuniam autem ad iſtorum emptionem & tributum quoddam ciuitati pendendum à Leptine accepi, dicens, quæ mihi & vtrique noſtrûm & honeſtiſſima & dictu vera videbantur. Pecunia, quam in nauem Leucadiam inſumpſimus, ferè eſt minarum xvj. Eam igitur accepi, atque ea in iſtis ſum vſus, quæ ad vos miſi: iam de tuis pecuniis quæ ſunt Athenis, itéq; de meis quomodo ſe res habeat, audi. Ego tuis pecuniis, quemadmodum olim tibi dixi, vtar, quomodo aliorum amicorum facultatibus, vtor autem quàm pauciſſimis poſſum: in iis ſcilicet, quæ neceſſaria, iuſta, & honeſta videntur, & mihi & ei à quo accipio, cuiuſmodi mihi quiddam hoc tempore accidit. Sunt mihi fratris filiarum quæ tum mortuæ ſunt, cùm ego, te tamen iubente, nó ſum coronatus, filiæ quatuor: prima eſt nubilis, altera annorum octo, tertia paulò amplius trium, quarta nondum eſt annicula. Iis autem quibus ego nubétibus ſuperſtes ero, tum à me, tum à meis amicis dotes curandæ ſunt: quibus non ero, eæ valeant. Si patres earum ditiores me eſſent, dos curanda non eſſet. Nunc ipſis ſum locupletior, & earum matres ego tum ab aliis, tum à Dione adiutus collocaui nuptum. Vna igitur Speuſippo traditur, eius ex ſorore neptis. Opus eſt auté huic non amplius xxx. minis. honeſtæ ſiquidé & côuenientes nobis ſunt eiuſmodi dotes. Deinde ſi mater mea moriatur, ad monimentum faciendum non opus fuerit amplius decem minis. Atq; hæc quidé mihi hoc tempore ſunt neceſſaria. Quod quis alius fiat ſumptus aut priuatim aut publicè ob meam ad te profectionem, ſicuti aliquando faciendú dicebam, meú erit cótédere & pugnare, vt ſumptus fiat perexiguus, quod demere non potero, tibi expenſum feretur. Sed deinceps cómemoremus de impenſis Atheniéſis tuæ pecuniæ. Primú ſi quid mihi expendendú fuerit in Choragium, aut tale quippiam, non eſt noſtra quidé ſententia, hoſpes vllus qui tibi eam reddat. Permagni auté tua refert, ſi quod impenſum eſt, è re tua ſit. Quod auté non impenſum, ſed vſque eò dilatú, dum abs te aliquis venerit, tibi damnum afferat, cú præterquam quòd difficile eſt, tibi etiam turpe ſit futurú. Ego enim hæc tentaui apud Andromedé, eúq; Æginetá Eraſtum miſi, à quo iuſſeras, vt pote ab hoſpite veſtro, ſiquid opus eſſet, ſumerem, cú maiora de quibus ſcripſeras, cuperé mittere. Ille verò quòd æquú & mihi ab homine alienú eſſet, reſpondit, ſe quæ anteà patris nomine impendiſſet, ægrè recepiſſe: ac nunc pauca quidé non recuſaturú, multa verò maximè. Quapropter à Leptine ſumpſi qui laude dignus eſt, nó tantum quia dedit, ſed quia lubenter, & promptè dedit, cæteriſq; in rebus tú dictis tum factis tibi amicus ac beneuolus apparet. Hæc enim, atq; his contraria me tibi exponere oportet, quali quiſq; eſſe in te animo videatur. Quare de pecuniis tibi liberè id quod res eſt aperiá: æquú eſt enim, & ſimul domeſticos, tuos expertus, de diis quoque cómemorabo. Qui tibi aſſiduè pollicentur ſe de iis ſumptibus, quos faciendos arbitrátur, te admonituros, admonere tamé nolunt, ne in offenſionem tuá incurrant. Itaque illos tu aſſuefacias oportet, & cogas tú hæc, tú alia tibi exponere. Debes enim tu, quoad poteris, omnia noſſe, iudéxq; eorú eſſe neq; vllius rei notitiam fugere. Hæc enim eſt ad principatú tuendú, conſeruandúq; vel commodiſſima ratio. Siquidé ſi ſumptus rectè facies, ſi nomina rectè diſſolueris, cú ad alia omnia, tú ad opú poſſeſſioné côſeruationémq; maximá iure dices eſſe opportunitatem. Prouidebis etiam ne te apud homines illi calumniétur qui ſe tui ſtudioſos eſſe iactét. Hoc enim ad tuá exiſtimationem minimè conducere videtur. Age de Dione cómemoremus. cætera ſanè nequeo adhuc exponere, niſi prius tuæ, quæ dicis, literæ ad me allatæ ſint. De iis autem de quibus me apud illum mentionem facere nolebas, neq; métioné feci, neque cómemoraui. Exploraui tamé grauitérne, an facilè, ſi ea fierent, toleraret, ac mihi viſus eſt nó leuiter ſtomachaturus, ſi ea confierent. Cæterú mihi Dio viſus eſt tum dictis tú factis æquo in te eſſe animo. Cratino Timothei fratri, ſedali meo, thoracem dabimus militaré ornatiſſimum, ex eo genere quo pedites vti ſolent. Cebetis filiabus tres tunicas, ſeptem vlnarum, nó ex pretioſis illis Amorginis, ſed ex ſiculis lineis. Cebetis autem nomen tibi maximè notum eſt. Extat enim in Dialogis Socratis, & in Dialogo de animo diſputat ſimul cum Symnia aduerſus Socratem, vir omnibus nobis & familiaris, & beneuolus. Notá auté Epiſtolarú, quas aut ſeriò aut nó ſeriò ſcribo, etſi opinor te meminiſſe, tamé attédito diligéter, animúq; aduertito. Complures enim iubét me ſcribere, quos non facilè poſſum apertè repellere. Seriæ igitur epiſtolæ initiú eſt, D E V S: non ſeriæ, D II. Legati quoq; à me petebát, vt tibi ſcriberé, neq; iniuria. Admodú enim libenter te vbiq; ac me dilaudát: in his nó minimú Philager, q. per id tépus ex manus dolore laborabat: ité Philędes, à Dario rege magno veniés de te verba faciebat, ac niſi valde prolixæ & verboſæ epiſtolæ opus eſſet, quæ ille dicebat, perſcriberé. Nunc ex Leptine percótare. Si thoracé aut aliud quidpiá eorú de quibus ſcribo, mittas, cui ipſe voles dato: ſin minus, Terillo committito. Ex iis qui perpetuò nauigant, nobis eſt amicus, & cú aliis in rebus, tú in Philoſophia minimè ineptus, Tiſoniſq; ſocer eſt eius, qui quo tépore nauigabamus, ciuitaté gubernabat. Vale, & philoſophare, alióſque adoleſcétes excita atque adhortare, meiſque verbis tuos in pilę ludo colluſores ſaluta. Iube verò cum aliis, tum Ariſtocrito ſiquid à me aut verbis aut literis tibi nuntietur, det operam, vt quamprimum ad te perferatur, tibique in memoriam reuocet ea, quæ tibi ſcripta erunt, vt ea curæ habeas. Nunc verò da operam vt Leptini ſua pecuniæ primo quoque tempore perſoluatur, vt alij in eum reſpiciétes, promptius & alacrius nobis inſeruiant. Iatrocles à me vnà cú Myronide libertate donatus, nauigat nunc cum iis qui à me mittuntur. Huic dabis ſtipendium, vt poté animum erga te beneuolum gerenti, eiúſq; opera, vbi voles, vtêris. & epiſtolam aut ipſam, aut ſi ipſius exemplar ſeruatur, tuţe cognoſce.

AXIOCHVS PLATONIS DE CONTEMNENDA MORTE, RODOLPHO AGRICOLA INTERPRETE.

SOCRATES, CLINIAS, AXIOCHVS.

EXEVNTI ad Cynoſarges mihi, cum ad Eliſſum veniſſem, vox cuiuſdam allata eſt clamantis, Socrates, Socrates. Vtque conuerſus circunſpectabam vnde ea redderetur, Axiochi filium video Cliniam, ad Callirhoen currentem cum Damone muſico, Charmidéque Glauconis filio. Horum alter quidem muſicam docebat; alter ex familiaritate amabat, ſimúlque amabatur. Viſum eſt ergo mihi recta deflectenti occurrere eis, vt quàm primum conueniremus. Perfuſus autem lacrymis Clinias, nunc tempus eſt, inquit, Socrates vt vulgatam ſemper de te ſapientiam oſtendas. Pater enim ex aliquo iam tempore viribus de improuiſo deſtitutus eſt, & prope eſt exitum vitæ, moleſtéque fert adeſſe ſibi finem, tametſi ante hac contemneret mortem horrenda imagine exprimentes, comitérque derideret. Perge ergo, próque tua conſuetudine illum confirma, vt volens eò quò ducit neceſſitas, ſequatur, vtque ille mihi ad reliqua hoc ipſo etiam piè colatur. S O C. Nullam me Clinia moderatam & honeſtam rem rogaueris fruſtrà, quantò nunc magis cum ad hæc me voces pietatis officia. Acceleremus igitur. Si enim ita ſe res habet, feſtinatò opus eſt. C L I. Vbi modò te viderit Socrates, rectius habebit. Crebrò enim iam euenit ei, vt exanimatus rurſus reficeretur. S O C. Quò citius autem perueniremus, ea quæ circa murum eſt, ad Itonias portas, iuimus. In proximo namque habitabat portæ quæ eſt apud Amazoniá columnam. Inuenimus ergo eú aſſumptis rurſum ſenſibus, & corpore robuſtum, defectú verò méte, prorſúſque indigenté conſolationis, reuoluenté crebrò ſe, ſuſpiriáq; cú lacrymis atque manuú crepitu cienté. Aſpiciens auté illú, quid hoc, inquá, rei Axioche? Vbi nobis illa pridé magnifica verba, continentéſq; laudes virtutum, & maius quàm vt dici poſſet in te animi robur? Sicuti enim timidus athleta, cú in gymnaſio inſigné te præbueris, ad certamen ipſum defeciſti. An nó circúſpectè conſiderabis naturam vir táta ætate, & rationi obſequens, vtq; nihil aliud, Athenienſis? quod cómune videlicet hoc & ab omnibus iactatú, peregrinatio quædá vita eſt, quódque oportet peragétes eá alacriter, & tantum nó pæana canentes, ad poſtremá accedere neceſſitaté: tam molliter verò habere, ſe támq; ægrè pueri more diuelli, nequaquá prudentiæ prę ſe fert altioris ętaté. A X. Rectè quidé Socrates, iſta mihi dicere videris: verùm neſcio quo pacto vbi propius acceſſit periculú, fortia illa grandiáq; verba occultè ſubteruolant atque negligútur. Oboritur auté metus quidá, mentem multipliciter diſcerpens, ſi hac luce, hiſque priuabor bonis, & expers métis ſenſuúq; iacebo vbicúq; demú putreſcés, & in puluere verméſq; côuerſus. S O. Imperfectè côiúgis Axioche, propter imperitiá, cú ſenſuú orbitate ſenſum, tibiq; ipſe cótraria facis & dicis: neq; cogitas quòd ſimul quidé defles id, quòd ſenſibus carebis, ſimul ob putrefactioné doles, amiſſionéq; vitæ oblectamétorú, veluti morte ſis in aliá vitá tráſiturus, neq; in omnimodam abiturus ſenſuú abolitionem, & eandem in qua prius quàm naſcereris, fuiſti. Vt enim cú Draco Cliſthenéſq; gubernabant rempublicá, nihil te mali habebat (nécdú enim cœperas eſſe vt malè tibi quid accidere poſſet) ita neq; poſt motem erit. Nullus enim vt malè tibi eſſe quicquá poſſit, es futurus. Quin tu igitur hanc omné diſcutis ineptiá, illud cogitans, quòd ſoluta ſimul hac cópage, animóq; rurſus in propriú reſtituto locum, relictú iſtud corpus terrenú atq; rationis expers, amplius nequaquam eſt homo. Nos etenim anima ſumus, animal immortale, mortali incluſum munimento. Hoc auté tabernaculú non ſine malo nobis circundedit natura, cuius lęta quidé abſtruſa ſunt & volucria, pluribúſque doloribus admixta: triſtia verò, improuiſa, diuturna, prorſúſq; vacua gaudiorum. Valetudines nempe, ſentiétium mébrorum vlcera, morbi interni. Quibus neceſſariò (quoniá per corporis meatus ſparſa eſt) códolés anima cæleſtem & cognatú deſiderat æthera, ſitítq; cupidè ſupernę illius couſuetudinem gaudiáq; vitæ Diſceſſus itaq; è vita, mali cuiuſdá eſt in bonú cómutatio. A X Cum malú ergo Socrates vitam putes, quid ita viuere perſeueras, cú rerú, ſis indagator, & nobis, id eſt multitudini, intelligentia præſtes? S O C. Nequaquam verum de me Axioche teſtimonium dicis. Arbitraris enim quemadmodum vulgus Athenienſiú, quádoquidem res inquiro, alicuius quoque me ſciétiá habere. Abeſt auté tantú vt recóditiora ſciam, vt voto optauerim etiá vulgata me iſta nouiſſe. Sunt autem iſta quæ dico Prodici ſapientis tradita, alia quidem duobus obolis, alia duabus, alia quatuor drachmis redempta. Gratis enim hic vir neminé docet, eſtq; mos ei ſemper Epicharmi illud in ore habere, Manus manun fricat: da aliquid, & aliquid cape. Nuper ergo cùm apud Calliá Hipponici filiú declamaret, tátis diſſeruit cótra vitá, vt ego ad ea quæ nullius ſunt momenti, adſcripſerim vitá. Ex cóque iam in morté mihi animus Axioche propédit. A X. Quæ dixit auté? S O C. Dicá equidé tibi ea, quorum mihi veniet in menté.

Miſeria vitæ.

Quę enim pars inquit, ætatis, calamitatibus vacat? Nonne ſtatim à principio plorat, vt primum natus eſt infans? vitáq; à lacrymis auſpicatur? Quæ tandé nó premit eú moleſtia? Séper enim vel penuria, vel frigore, vel calore, vel verberib⁹ vrgetur. Antè quoq; q̃ loqui poſſit, quáta patitur? flés ſcilicet, háncq; ſolam habens anxietatis ſuæ querelam. Vbi ſeptimú de hinc expleuerit annú, multóſq; labores exhauſerit, iam cuſtodes, gymnaſticę, magiſtri ludi, iam adóleſcéti critici, geometræ, rei militaris præceptores, ingens planè dominorum multitudo. Poſt iſta vbi in Ephebos inſcriptus eſt, prior iam metus Lyceú, Academia, gymnaſiarchia, virgæ, nulláq; prorſus malorú méſura. Omne adeò adoleſcentis ſub moderationibus eſt tépus, qui ex Areopagi delecti cócilio præſunt iuuétuti. Deinde cum fuerit iſtis exolutus, iam curæ palá emergunt, reputatióq; quod viuédi potiſſimú inſtituat iter, prçq; ſequétib⁹ im cómodis priora illa puerilia videntur, & infantiú reuera territamenta: expeditiones enim & vulnera, per-